
R

Henryk Lubomirski
1830.

NB. Tey edycyi nie mam
w Instytucie Lubomirskich.

3/44



LUCÆ OPALENII
Regni Poloniæ Marescalli
DE OFFICIIS
Hominis Christiani
LIBRI TRES.

LUCÆ OPALENII
Regni Poloniæ Marescalli
DE OFFICIIS
Hominis Christiani
LIBRI TRES

In quibus Sapientiæ Christianæ, idest Moralis Philosophiæ, Jurisprudentiæ, imò & Theologiæ, pleraque & præcipua nova hactenus ratione, atque methodo, accuratè explicantur.

Post editionem tertiam Viennensem
Prima Veneta.



VENETIIS, M.DC.XCVIII.
Apud Andream Poleti.
SUPERIORUM LICENTIA.



VErba Sapientium ſicut ſtimuli; & quaſi clavi in altum defixi, quæ per Magiſtrorum conſilium data ſunt à Paſtore uno. His amplius, Fili mi, ne requiras. Faciendi plures libros nullus eſt finis: frequenſque meditatio, carnis afflictio eſt. Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time, & mandata ejus obſerva; hoc eſt enim omnis Homo. Eccleſ. 12.





INDEX CAPITUM.

CAPUT II.

DE REGIMINE COMMOTIONUM, ALTERA PARTE PROBITATIS.


A fol. 41.

CAPUT III.

DE EXERCITIO VIRTUTUM, TERTIA PARTE PROBITATIS.

A fol. 70.

APPENDIX.



LIBER OFFICIORUM II. DE CHARITATE.

A fol. 129.

CAPUT I.

CAPUT II.

Pars

LI-



LIBER OFFICIORUM III. DE PIETATE.

A fol. 209.

CAPUT I.

Pars

CAPUT II.

Pars

CAPUT III.

AP-

APPENDIX.



NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la ſede di reviſione, & approbatione del P. Fr. Antonio Leoni Inquiſitor nel libro intitolato *Lucæ Opaleni Regni Poloniæ Mareſcalli, &c. de Officiis libri tres*, non eſſervi coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Prencipi, nè buoni coſtumi, concediamo licenza che poſſi eſſer ſtampato oſſervando gl' ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite copie alle publiche Librarie di Venetia, e di Padova.

Dat. 8. Zugno 1697.

{ Aſcanio Giuſtinian 2°. Cav. Ref.
{ Sebaſtian Foſcarini C^r. Proc. Ref.
{ Franceſco Cornaro Proc. Ref.

Agoſtino Gadaldini Segret.

ER-

ERRATA.

Pag: 1.	lin: pen:	tractaturns	Lege	tractaturus
pag: 2.	lin: 17.	distinstè		distinctè
pag: 17.	lin: 16.	distrahunque		distrahuntque
	marg: 2.	memoriæ		memoria
pag: 22.	lin: 13.	αναμαρτιίσα		αναμαρτισία
pag: 27.	lin: 11.	necessarium		necessariam
	lin: 12.	tanqnam		tanquam
pag: 28.	lin: 23.	desinit		desint
	lin: pen:	Avaritia		Avaritiæ
pag: 37.	marg: 4.	ejusdem		ejus dum
pag: 39.	lin: 11.	exanuit		evanuit
pag: 41.	lin: 17.	μετρπιοαθεια		μετριοπαθεια
pag: 42.	marg: 1.	assectibus		affectibus
pag: 48.	marg: 4.	ea		eam
pag: 58.	marg: 4.	sevities		sævities
pag: 61.	lin: 5.	qubus		quibus
	lin: 11.	Thologicam		Theologicam
pag: 71.	lin: 10.	ἠγзμὀνικον		ἠγεμὀνικον
pag: 98.	marg: 2.	consciscas		consciscat
pag: 104.	lin: 19.	τῆος		τῆς
pag: 105.	lin: 22.	τ̃ зυπραξίας		τ̃ ευπραξίας
pag: 124.	lin: 25.	.		?
	lin: 27.	?		.
pag: 145.	lin: 23.	explicetnr		explicetur
pag: 175.	lin: 20.	αγзνεαλγοήτοις		αγενεαλογήτοις
pag: 210.	lin: 10.	moret		morer
pag: 248.	lin: 8.	ἀντοεξυσοιν		ἀντοεξ΄σιον
	marg: 4.	elaboratam		elaboratum
pag: 259.	marg: 2.	famina		fæmina
pag: 307.	marg: 1.	toti		uti
pag: 309.	lin: 3.	τεοκρατίαν		θεοκρατίαν
pag: 331.	lin: 21.	Βατθολογη σειν		Βαττολογήσειν
pag: 356.	lin: 16.	αχετική		σχετικὴ
pag. 357.	lin: 12.	blaterenr		blaterent
pag: 366.	lin: 3.	assenium		assensum
pag: 378.	lin: 5.	convcrtat		convertat

PRÆ-



PRÆFATIO OPERIS,

Ejusdemque Dedicatio

LECTORI.



Cui enim potiùs, quàm Tibi Lector Opus meum dedicem? Tibi illud scripsi: laborisque & operæ non aliud mihi pretium, quàm tuum commodum assignavi: ut legas, inquam, ista: capias: probes: & utare. Meritò itaque ea Tibi inscribo: utinam tali cura noscenda, qualem ego impendi: & quam vel magnitudo, vel utilitas meretur argumenti. Sapientiæ etenim Christianæ, specimen quoddam adfero: cujus cùm multa sint; quæ fructum uberem habeant adferantque, tum nullus in illa utilior præstantiorque locus, quàm hic, quem tractaturus sum de Officiis: *ab eo namque benè sanctèque vivendi præcepta du-*

Causa cur lectori opus inscribatur.

Ejus argumentum.

Unde haustum.

ducuntur. Hæc verò ut exactè explicarem, non modo putavi necessarium, conjicere præcipua, quæ Moralis Philosophia continet ac præcipit: sed etiam nonnulla è media Theologia petenda censui. Juris quin immò principia eodem pertinere, ideoque ex professo tractanda existimavi. Quæ omnia deduxisse mihi visus sum, ut nova ratione ac ignotà hactenus methodo, ita & raro profectò pro magnitudine rei compendio: Dum nempe tribus exiguæ molis libris, totidemque libri cujusque capitibus, tantam rerum copiam includo. Præterea, quod alibi in tractatione Philosophica requirere Cicero videtur; ut fiat distinctè, graviter, & ornatè, id ut probè implerem animus conatusque fuit, nescio an successus. Distinctè imprimis studui rem aperire: accuratè & aptè (prout quidē captus meus erat) partiendo argumentum: & factà definitione, ac divisione cujusque rei, etsi ut plurimum nova, puto tamen non

Nova ejus methodus.

An tractata distinctè.

in-

incommoda. Talis autem methodus, artis specimen habet: & enucleatiùs rem explicat: & melius memoriæ imprimitur. Denique præclara & rara est: quia difficilis, & ardua: cùm non possit fieri, nisi priùs probè cognita rei natura, & ut ita dicam, subacta materia. Graviter deinde volui in serio hoc scripto versari. Itaque nec amœnitatis studio, in longas dissertationes me effudi: nec declamatoria illa, & tautaloga ubertate, qua Seneca præcipuè audit, lascivire volui: nec superflua ostentatione eruditionis ineptire. In ejusmodi enim scriptione, paucis, sobriè, & graphicè decet γνωμολογεῖν nihil bis dicere: sancire quodammodo & decernere: sine vano lenocinio eloquentiæ; verum, quod sat per se pulchrum est, aperire: denique inserere quædam animis, quæ cogitatione propagata, latiùs sua sponte pullulent, & fructum per se ferant. Attamen nec Ornatum penitus omittere volui: Necessa-

Et graviter.

Sententiam dicere.

Et non sine ornatu?

rium existimans verba rebus paria reddere: ne vitio sermonis, ac vili tractatione, non modo nativam sui cognitionem, sed dignitatem etiam amitterent. Itaque huic fini, commodè ac decorè ab aliis dicta, Operi meo intexui; etsi non editis plerumque Authoribus: ratus; nec eruditis id esse necessarium; agnoscent enim: nec minùs peritis proficuum; cùm à ratione potiùs pondus peterem, quàm authoritate: præsertim verò profana, à qua, velut à non idoneo teste, nihil veritati Christianæ accedere posse existimo. Sacram verò ac divinam, prorsus, ac primo loco, censui advocandam. Quanquam nec hujus anxiè (ut plerique solent) loca indicavi, eò quòd, censerem pudorem esse Christiano, ea ignorare. Jam verò, an tria hæc, quæ ex Cicerone adduxi, impleverim præstiterimque; censebis Lector. Censebis inquam: sed haud rectè, nisi legas totum, probeque cognoscas. Quod, a te, & brevitas

Id judicio lectoris subjicitur

tas

tas libri facilè impetraverit: & structura ejusdem omninò requirit. Nisi enim à capite adcalcem decurras; partium ejus non invenustam Symmetriam, & quomodo prima mediis, & hæc postremis, respondeant; videre non poteris. Perieritque primùm labor meus; quem scio me non levem, nec tenuem subjisse: deinde fructus tuus, qui haberi non poterit, propera; & desultoria lectione. Ultimum, quod adhuc præfari ad te opportunum existimo, est: ne, dum de Officiis *promisso sermone, in abdita pietatis, immò & Sanctitatis Christianæ te deduci videbis; ne inquam, putes, Titulo libri, Tractationem haud respondere: aliudque promitti, aliud præstari. Consultò, sine jactantia, & modica inscriptione Opus insignivi: tali tamen, quæ tractata complecteretur, ideoquè requireret. Ut enim Plato Rempublicam, Cicero Oratorem, Stoici Sapientē, ideo id in summo exempla-*

Sed si totum, & cum cura legerit.

Cur in summo exemplari Officia posita.

Causa adfertur.

ri ostendère, ut excitarent conatum quàm proximè accedendi, & citra quamvis consistentibus, laudem assignarent; ita & mihi de Officiis Hominis Christiani dicturo, proponendum omninò fuit, quod summum consummatissimumquè censerem. Præsertim cùm certissimum sit, veram Sapientiam, à pietate, & sanctitate, non posse secerni; & culmen Christianæ Philosophiæ, religionem ac θεοσέβειαν esse. Veteres illi, lumine fidei orbi, atque destituti, alios habuere, qui Sapientiam profiterentur; nec Deos quærerent: alios; qui in Deorum vano cultu occupati, Sapientiam non curarent: ideoque dum hæc ab invicem sejungunt ac separant, nec veram (ait Lactantius) sapientiam, nec Religionem habuere. Nobis Christianis, par, & juncta cura utriusque: aut unius potiùs, nempe Sanctitatis, sed in qua totum istud sapere continetur: atque adeò tota Scientia,

A Pietate Sapientiã non posse separari.

Dei cultum.

tia, Deus est. Ille Principium & Finis: ab hoc ducuntur; ad hunc omnia referuntur. Facessat ergo ista ex solo Aristotele desumpta, & seorsim à doctrina pietatis tractata Ethicè, & nescio quæ, partitio virtutum, à Christiana professione, ac perfectione sejunctarum. Prodeat verò, illa, illa, ignorata profanæ Philosophiæ, parum nota plerisque Christianorum, intra penetralia ac cellas ascetarum clausa, simplici & humili, ideoquè sæpe illusa pietate occultata, sed alta profectò, & sola vera, quia Divina Sapientia: qua homo hic, officium perfectè implere, & olim præmium consequi, ac beatus esse possit. Feci ego, quantum potui; ut illam proprio vultu ostenderem: facilè mihi promittens fore; ut multos sublimitas ejus in admirationem rapiat, & pulchritudo in amorem. Moveat verò etiam eos; quos vel nimia rerum hujus vitæ cura in tantum ob-

Christianè itaque philosophandum.

Quod ego conatus.

ruit, vel vana sæculi eruditio, ac ratio humana, adeò occupavit, ut fastidire quodammodo, & nauseare videantur Christianam omnem pietatem. Faciet Deus, ut novo hoc velut condimento, palatum eis excitet, novo igne teporem auferat, ac fidei fervorem succendat veritas à multis ignorata, ideoque spreta. Et quidquid, ipso Authore, à me scriptum est, eo incrementum faciente, cedat in bonum tuum Lector; ipsius laudem, honorem, & gloriam.

Utinam legentiū bono.



Pro-



Prologomena quædam pauca, quæ velut fundamentum Operi substernuntur.



ANtequam Tractationem promissam ordiar; consultum; immò necessarium omnino videtur, præmittere solida quædam immotaque, de Deo, & quæ ejus notionem consequuntur, principia: quibus Opus tutò inniti, & firmiter superstrui possit. Frustra etenim Officia ducere conarer, causa eorum & origine, quæ Deus est, non deducta. Etsi itaque in libro tertio, ubi de Pietate agetur, de illo tractatus erit; attamen hìc etiam præmittenda sunt saltem illa, quæ de eo, recta dictat docetque ratio: sepositis in prædictum locum iis, quæ à revelatione habentur. *Fundamentum ponitur operis.*

Sit itaque lapis fundamenti, & initium sapientiæ; ut certò scias, semperque & impresśè memineris Deum esse. Istud autem, etsi certius est omni demon- *Deũ esse propter atheos probabitur.*

monstratione, & tam necessarium, ut probari non indigeat; Attamen, cùm pravis quibusdam ingeniis, vel inesse, vel facilè adhærescere soleant nonnullæ τῆς ἀθεότητος causæ; omnino, iis recensitis, argumenta ponenda sunt, adstruendæ Divinitatis. Quod igitur negant quidam, vel non, ut oportet, adfatentur Deum: Fit primùm, ingenii proterva & petulanti acrimonia, quæ ratiocinando, antecedere principium frustrà conatur; cùm illud, nulla antecedentia habeat: Si enim haberet, principium non esset. Dum ergo ex antecedentibus non colligit; cur, & quomodo Deus sit, ne esse quidem putat: & fidem aspernatur; qua potissimum Divinitas agnoscenda est. Deinde, fit idem, ex perversitate & malitia, quæ Arbitrum sui defugit: nolletque inesse Deo occultorum scientiam: quia sua occulta nollet prodi: & ne timeat vindicem, negat Authorem. Tertiò, à rudi quadam ferocia, quæ detrectat à suprema aliqua vi domari, ac contineri. Ideoque omnipotentis Dominii osor, ac contemptrix est. Quartò, ex vaga disputandi de religione licentia. Tales

Atheismi

Causæ atheismi recensentur.

1. Ingenii acrimonia petulans.

2. Malitia.

3. Ferocia.

4. Disputandi licentia.

enim,

enim, cùm nuſquam conquieſcunt; deſperatione veri, Deum aut non curant, aut diffitentur. Quintò, dum bonis mala, & malis bona vident evenire; de providentia primùm queruntur: mox dubitant: & demum illam, atque Deum una, tollunt. Poſtremò, illecebris præſentis vitæ occupata mens, inanibus curis negotiiſque merſa, ſe primùm fugit: tum verò Deum, qui nequit eſſe pabulum turbatæ, multiplicis, & inquietæ mentis. His ferè de cauſis, cùm multi, à debita agnitione Divinitatis, arceantur; operæ pretium eſt, in limine hoc ſcripti oſtendere; Deum eſſe. Id verò non illis argumentis, quæ ducuntur à priori: (hoc enim probationis genus, ut dixi, locum non habet, in prima & principe cauſa:) ſed quæ colliguntur à poſteriori, id eſt à convenientia rei: & ſi negetur, ex abſurdo. Deinde verò ab effectis, quæ cauſam apertiſſimè monſtrant, ac teſtantur.

5. Ob eventus varios, providentiæ negatio.

6. Poſtremò curæ mortalis ac illecebræ.

Aſſerenda ergo divinitas.

Argumentis ut vocãt à poſteriori.

Exiſtere itaque ſummam aliquam Divinamque naturam; & ratio, & generis humani conſenſus, & denique ordo mundi, ſeu creaturæ teſtimonium evincit. Ratio inquam imprimis facil-

limè

limè colligit, mundum hunc non esse ab æterno. Causa: quia constat partibus, & ex illis compositus est. Quis autem eum composuit? Non seipse: nam conjunctionem partium antequam haberet, non habuit: ideoque dare sibi, quod non habuit, non potuit: necessariò itaque ab alio eam sortitus est. Si autem ab alio; deveniendum erit ad principium, quod non habeat aliud principium: quod est per se Deus, necessariò ab æterno existens: qui nisi esset, nihil esset. Quæ enim ab alio sunt; aliquando non erant: dum non erant, efficere ut essent non poterant. Nunquam itaque extitissent, nisi quidpiam per se esset, quod illa efficere potuisset. Nisi itaque Deus esset, nihil eorum, quæ sunt, esset. Atqui se esse quisque sentit agnoscitque; necessariò itaque fatebitur, & Deum esse. Quod ipsum non ratiocinando, sed sponte natura, & quadam anticipatione (quam πρόληψιν vocant) agnovit semper, omne genus humanum. Tam firma autem, tam constans, tam communis omnibus, notio Divinitatis, vel indita à Deo mentibus nostris sit, oportet: vel à primo Parente

Ratio evincit Deum esse.

Et consensus generis humani.

te

te posteritati per manus tradita. Utrocunque autem modo; ingens profectò est veri argumentum. Nihilo autem minus & illud, quod ducitur à rebus creatis. Habet enim Deus testimonium (inquit Tertullianus) totum hoc quod sumus, & in quo sumus. Nam ex tanto, tamque consummatæ artis opere, quale Mundus est, utique Summus & Omnipotens Opifex; ex productione rerum in pondere, numero, & mensura Architecti mens immensa; ex Elementorum mira temperie, & in pugna quamvis, conservatione; vis suprema, omnia continens; ex motuum cælestium certa, ac stata vicissitudine, motor ipse immotus; ex elegantia, pulchritudine, convenientia, ac demum bonitate rerum, unum simplex ac solum Bonum, in quo fons omnis communicatæ bonitatis; ex humani denique tam corporis quàm animi admirandis, id est, ex compendio ac epitome universi, Author omnium Deus, spectatur manifestè.

Et demũ testimonium creaturæ.

Atqui dicunt quidam, hæc non à Deo esse, sed à natura provenisse. Peto verò qua natura? si sensu & rationis exper-

Objectio de natura solvitur.



experte; qui fieri poterit, ut quod non ſentiat, nec intelligat, cauſa ſit ſentientium & ratione præditorum? Utique neceſſe eſt, ut cauſa effectu, quem producit, aut præſtantior ſit, aut ſaltem eum vi & virtute intra ſe contineat. Quomodo autem res non ſentiens continebit vim ſentientis naturæ? quomodo id, quod rationis expers, producet effectum ſe tanto intervallo potiorem? Quodſi naturam dicunt intelligentem, omnium effectricem; hoc quod naturam vocant, Deus eſt.

Deus creavit res ex nihilo.

Eſt ergo, eſt Deus: &, ut ex dictis patet, conditor eſt univerſi: idque ex nihilo. Nam ſi ei coæternam, increatamque ſtatuamus materiam, illa quoque Deus alter eſſet, quia à ſe eſſet. Quomodo autem à ſe, quod non poſſit agere, ſed pati tantùm & recipere? & quomodo Deus ſine ſenſu? & Deus corpus, & corpus ſine forma? Verbo itaque ac juſſu feciſſe omnia dicendus eſt.

Idemque earum conſervator.

Conſequitur verò etiam: ut Rector ſit ac Conſervator ejus, quod produxit. Sive enim voluntatem ejus ſpectes; amavit, dum benefecit: & vidit, quod eſſent cuncta, quæ creavit, valdè bona.



bona. Necesse est ergo, ut bonus bonis bene velit. Sive scientiam; scivit condere: oportet ut noverit conservare. Sive denique potentiam; si ex nihilo potuit producere; quantò magis, ne in nihilum recidat, retinere? Et ut paucis totum dicam: cùm ostensum sit evidenter, ab eo fluxisse omne esse, necessariò ab eodem dependebit totum hoc existere.

Et providentia cũcta regens.

Existere verò, ac conservari id, quod ex tot diversis, ac inter se pugnantibus partibus est constitutum, non potest: nisi certo modo, ac ordine, à suprema aliqua vi, ac potestate, præscripto, præfinitoque. Talis autem potestas, non est, nisi plastæ, & Factoris, in opus suum: id est Dei. Hinc prodibit Divina providentia: quæ sine ulla anxia cura, curat res, & omnes, & singulas: earumque naturam, & noscit; & disponit ad finem à se præstitutum.

Sine solicitudine & labore.

Neque obstat, quòd Epicurus apud Ciceronem dicit, hoc modo fore inquietum, plenumque negotio Deum. Non enim potest esse ulla inquieta cura illi, apud quem par voluntati potestas est: & qui ut aliquid præstet, non

indi-

indiget, nisi seipso: id est voluntate sua. Sollicitudo, & labor eorum est; qui volunt perducere in potestatem suam, rem sibi non obsequentem. In cujus vero potestate, cuncta sunt posita, is sollicitudinis expers erit: dum ea, quæ sine labore produxit, sine labore gubernabit. Si enim, cùm non erant, vocata parvere, ut essent; quantò magis, postquam ejus jussu esse cæperunt?

Ab eo duratio rerum. In modo autem gubernandi, præcipuum locum obtinet, durationis cujusque naturæ terminus: quem ille, quibusdam parciùs, abundantiùs aliis indulsit: prout ejus omniscia disposuit voluntas. *Eam homini infinitã datam.* Homini certè, jus vitæ prorogasse in infinitum, vel exinde censendus est, quòd animum ejus tam vastum produxerit, ut expleri nequeat; nisi ipso. Experimento enim didicimus, cuncta hæc creata, nunquam sedasse ejus sitim, sed irritasse; aut certè fastidium sui potiùs, quam saturitatem se contentam, attulisse. Fassi hoc ultrò sunt, compotes omnis, mundanæ felicitatis. *Quod probatur ex animi potentiis.* Sed magis hoc ipsum adfateri cogetur, quisquis tres animi facultates, seu potentias, Memoriam nempe,

Intel-

Intellectum, Voluntatem, expenderit: videritque quomodo nonnisi proprietatibus τῦ ὄντος id est uno, vero, bono expleri, & in illis tantùm conquiescere possint. Videamus hoc paulò attentiùs: & nulli, quod sciam, plenè notatum, penitiùs pensitemus. Entis.

Memoriæ enim sistit in Uno. Dico itaque imprimis: quòd Memoria non possit sibi planè constare, nisi omni multiplicitate rejecta, cuncta videat redacta ad unum. Nullum autem est unum præter Deum, quod in se cuncta contineat. Hoc ergo solum visum, eam quietam reddere potest. Nempè sine phantasmatum infinita copia, quæ eam turbant, distrahunque; dum videbit Deum, videbit totum, quod semper erat, est, eritque. Itaque nulla reminiscentia præteriti, nulla futuri cogitatione fatigata, unico intuitu, in idea totius quod est, defixa, ac quieta manebit. Intellectus non potest consistere, donec agnoscat Verum. Verum autem non cognoscitur exactè, nisi in causa prima: quæ causas omnes continet, & ultra quam non datur progressus. Talis autem Causa Deus tantùm est, ergo in illo tantùm subsistit In-

Intellectus constat vero.

tellectus. Tum enim cognoſcet, cur, & quomodo ab eo, quod ſolum verè eſt, fluat omnis eſſentia; & quis ille ſit nexus cauſarum ſeſe conſequentium, qui initium accipit ab eo, quod non habet initium. Hac verò agnitione, omnem perplexitatem, hallucinationem, falſum, effugit: planèque conquieſcet.

Voluntas conquieſcit in Bono.

Voluntas denique non poteſt expleri, niſi apprehendat bonum. Bonum autem nullum eſt conſummatum, niſi quod à ſe eſt. Tale enim cùm à ſe poſſit habere; non poteſt non velle ſibi ineſſe omne bonum. Ut verò ipſum ſolum bonum, ita omne, quod communicatum ab eo. Itaque hoc totum, unicumque eſt bonum ejus, cui ſe communicavit. Communicavit autem ſe Animæ, cùm illam eſſe; & talem, ut eſt, eſſe; gratuita bonitate voluit. Ergo hoc ſolum Bonum ejus erit: ergo in hoc Bono, id eſt in DEO Voluntatis plena ſaturitas, & quieta poſſeſſio. Concludo itaque locum hunc, & dico: Anima Rationalis quieta, id eſt, beata eſſe nequit, niſi viſo per Memoriam Uno, agnito per Intellectum Vero, prehenſo per Voluntatem Bono Deo.

Quod

Quod si ita est; necessariò consequetur; ut, quod non possit, nisi participatione & consortio Divinatis, quietem, seu finem suum consequi; id Divino auxilio elevetur, ad statum tantæ sorti & conditioni parem. Atque adeò, ut verè potiatur immortali Deo; immortale sit, oportet: Alioqui nec appetere, nec frui posset, bono sibi non convenienti. *Vnde immortalis status deducitur.*

Post hanc vitam igitur, necesse est, vitam nobis alteram superesse: quæ nos Dei compotes reddat. Nam status hujus præsentis & mortalis, incapax est plenæ fruitionis boni immortalis. *Et post hanc vitam vita altera.*

Verè itaque pervulgatum illud Augustini, dici ad Deum potest: Creasti me ad te; inquietum est Cor meum, donec perveniat ad te. Perveniat, inquã, sed tuo auxilio. Nam sicut (ut idem alibi loquitur) non est à carne, sed supra carnem, quod eam facit vivere; sic non est ab Anima, sed supra Animam, quod eam facit beatè vivere. Et ut vita Carnis Anima est, ita vita beata Animæ Deus est. *Quæ in Deo.*

Idemque summum appetendorum; Summum Bonum, finisque hominis: ad quem benè, rectèque vivendi consilia *Vti summo hominis bono.*

 refer-

referri; & quem omne cogitatum, dictum, factum, respicere debet.

Quod qui non Appetit, amittit, & perit.

Porrò Bonum hoc, malis ac perversis, qui illud nec appetierunt, nec quæsiverunt, imò spreverunt etiam, salva justitia, non potest pariter, & ex æquo cum bonis obtingere. Necessariò itaque consequetur; ut vita futura, dispar sit meritis, ac immeritis: Beata nempè illis, his verò misera & calamitosa.

Sed hæc uberiùs suo loco. Præmittenda verò hìc erant, seu præparandis, seu excitandis animis; ut visis solidis hisce principiis, surgentem libri fabricam rectè contueri, ac scandere tutò queant.



LIBER

LIBER OFFICIORUM PRIMUS.

De Probitate.



I Acto Sapientiæ Christianæ velut fundamento, ad Officium ejusdum venio; illud ita definio. Officium, est vitæ institutum, & actio, conveniens Naturæ rationabili. Dividitur trifariam. Primum enim est, Probitas: qua homo se bonum reddit. Charitas alterum: qua erga alios bonus est. Pietas denique: qua coram DEO bonus est; cuncta ad eum referens, uti finem. Tripartita hæc totius Operis & Materiæ divisio, totidem libros requiret: in quibus explicandæ mihi erunt partes istæ, compendio quidem & breviter, sed tamen, ut existimo, accuratè.

Definitur Officium.

Dividitur tripliciter.

Usi & tractatio Operis.

Probitatis definitio, & triplex divisio.

Probitatem definio: Tenacem boni animum ſententia, dicto, facto. Tres ei partes aſſigno: ἀναμαρτισίαν, μετριοπάθειαν, ϗ εὐπραξίαν, ſeu fugam vitiorum, affectuum regimen, & exercitium virtutis. (Ita enim Græca hæc verto: interpretatione, quæ rem exprimat; & quæ, ut Seneca dicit, appellationis vim potiùs habeat, quàm faciem) Quæ tria ſingulis capitibus explicare, ac complecti conabor.

CAPUT I.

De ἀναμαρτισία, *Prima Parte Probitatis*.

Impeccabilitas explicatur.

PRimam Probitatis partem, impeccabilitatem ſeu impeccantiam feci. Homo etenim à Deo factus natura bonus, voluntate autem propria pravus, & corruptus eſt, culpa originis. Id eſt, per prævaricationem primi Parentis, quæ eum infecit: & loco debiti ad Unum, Verum, Bonum amoris; indidit concupiſcentiam multiplicis, falſi, ideoque non boni. Hoc fonte derivata labes fluxit ad poſteros: idque triplici, prout partitur Diſcipulus

Quæ eſt in expugnanda triplici concupiſcentia.

Domini, rivo. Nempe Concupiſcentia carnis, Concupiſcentia oculorum, & Superbia vitæ, quibus omnem peccandi materiam oſtendam contineri. Per ſubſidia igitur, quæ Deus homo factus, ſufficientia reparandæ naturæ præſtitit, opus eſt eradicare ex animo mala, firmumque facere propoſitum non peccandi. Nempe poſt ſolennia illa Sacramentorum, (de quibus ſuo loco,) Conſcientia formanda eſt; tanquam Dux, & cuſtos vitæ innocentis. Eſt enim illa: Internum & integrum judicium, reſpuens malum; id eſt peccatum: veniens, cum abhorrentia; admiſſum, cum angore; in bono autem, cum gaudio conquieſcens: idque totum cum Deo, & propter Deum. Meritò hæc poſtrema addidi; nam ſi rationis tantùm, non verò religionis dictamine oriatur, nihil eſt. Fit tantum inanis, vel oſtentata Probitas, id eſt, fucus. Firmamentum igitur illius unicum erit, timor Domini. Porrò ut evellantur vitia, dignoſcenda ſunt. De ſingulis itaque partitione propoſita dicam.

Per non peccandi propoſitū.

Per Sacramenta, & conſcientiam, Cujus definitio.

Pars Capitis Prima.

Explicatur primus peccati rivus, Concupiſcentia Carnis.

Definitur Concupiſcentia. COncupiſcentia Carnis eſt, Abuſus eorum, quæ corpori propria. Fitque tripliciter. Nempe molli ac delicata deſidia, Gula deinde, ac demum Libidine. Qui his dediti, illis corpus voluptati, anima oneri eſt. Mollitiem *Pars ejus prima Mollities.* voco, nimis delicatam curam corporis, quæ deſidem & enervem vitam reddit. Sunt enim quidam in cute curanda nimis operoſi, nimis compti, nimis culti, odorati, uncti, ſenſuum oblectamentis inhiantes: idque cum quodam delicato faſtidio, quod ſcitè quidam præſeferunt, oſtentantque. Taliter occupatis, non vacat vivere: & hinc non modo laboris, ſed omnis actionis fuga; ſegne tantùm otium, id eſt vivi hominis ſepultura. Gula eſt in eſu, & po- *Gula pars altera.* tu exceſſus. Dum ganeones iſti avidè vorant, liguriunt, ventrem variè farciunt, nec egentem, nec capientem. Deinde potu ad crapulam ſeſe ingurgitant; fructu, nauſeæ & cruditatis;

qua

qua evanidi pallent, & in vivis caro morticina est. Libidinem vel nominari vetuit Apostolus: igitur definitione illam non dignabor. *Tertia, Libido.*

Hæc sunt vitia, quibus homines in bruta animalia degenerant: quanquam vincant ea potiùs, quàm imitentur. Illa enim, etsi hoc unum agant, & appetant; tamen non ultra naturæ modum, quem homo excedit. Nempe Caro concupiscens adversus Spiritum, postquam pellexit animum suis illecebris, frui illis jubet. Dum autem animus fruitur, & expleri nequit; exigere illas vult ad mensuram sui appetitus: & corpus, citò satiabile, onerat ac torquet: studetque ingenio irritare, ac provocare languentem ejus, falsamque voluptatem. Sed frustra: nam præter inevitabile fastidium, dolor & morbi, intemperantiæ comites, tandem abstinere vel invitum cogunt. Habes detecta mala, quæ Concupiscentia carnis facit. *Hisce degeneramus in bruta: immò ea superamus.* *Et quare.*

Remedia contra eam ut adferam; Primum erit: ut voluptatem ejus abeuntem cogitemus. Morsum nempe illum, quem aspernatione, & abhorrentia *Remedia contra corporis voluptatem.*

Annexum ei pœnitere. rentia ſui, linquit; Annexum namque ſemper illi, pœnitere. Et, ſi rectè expenderis, facilè agnoſces; iſtas, quas vocamus voluptates, ubi modum tranſcenderint, profectò pœnas eſſe. Deinde, agnoſcamus; quàm id, quod in illis oblectat, & vile, & breve ſit; tantoque ſtudio appeti non mereatur. Tertiò, ut turpitudinem earum averſemur. Mollitie enim, obliviſcimur animi; & velut abdicamus meliorem noſtri partem; tota cura ad corpus translata. Vitam otio, ſomno, ignavia conterimus; & occupatio, dotibus animi, prorſus contraria eſt. Gula, ad naturam eorum delabimur, quorum tota vita eſt, ali tantùm, & nutriri. Mactatorum animalium, & intra nos putreſcentium, ſepulchrum ſumus. Et multa ingluvie, & crapula, ſordeſcimus; fætemuſque. Libido denique, quàm ſit, uſu, & obſcænitatis miniſterio fæda, fatentur etiam impudentiſſimi; dum turpitudine adacti, lucem fugiunt, & latebras quærunt.

Vilis & brevis.

Turpis.

Fœda.

Obſcæna.

Vitanda hæc igitur & quia per ſe mala. Vitanda hæc igitur eſſent Sapienti, ſeu viro bono; etiamſi non fuiſſent à Deo vetita; prout etiam docuit vetus

illa

illa Philoſophia. Quantò verò magis, cùm non ratio tantùm, ſed etiam lex Divina vetat? Profectò & ratione, & præcepto firmatus animus, non modò illecebris corporis ſe capi & captivari non permittet; ſed quò longiùs ab hoc abſit periculo, contraria eliget, ac uſurpabit. Nempe, prout Schola Chriſti docet, domabit corpus: & ad ſervitutem, ac obſequium animi, per neceſſarium ἄσκησιν, rediget. Vivamus hanc vitam igitur; non tanquam propter corpus, ſed tanquam non poſſimus ſine corpore.

Et quia a Deo vetita.

Exercitationem.

Pars Capitis Altera.

In qua oſtenditur, quid ſit Concupiſcentia oculorum.

ALter peccati rivus eſt, Concupiſcentia oculorum, ſeu Avaritia: quam voco; Rerum, quæ extra nos, pravum uſum. Rectè vocatur Concupiſcentia oculorum. Cuncta enim externa, quæ Avaritia appetit: quid habent, præter ſpectari tantùm, & videri? Tripliciter hìc peccatur: nempe dum illis Fruimur: Non utimur: Abutimur.

Definitio Concupiſcentiæ oculorũ.

Frui-

Fruitio prima ejus pars. Fruitio rerum externarum, est: nimia ex illis oblectatio: vel animus earum specie nimis captus, ac irretitus. Splendor enim ille opulentiæ, & commoditas, & arbitrium quoddam in rebus humanis pecuniæ omnipotentis, & illi annexa mundana felicitas, perstringit primùm oculos; & tum mirum in modum animum fascinat. Præsertim, si quis sit; qui gloriari & gaudere possit, datas sibi divitias, artemque fruendi: qui non, ut ganeo, aut profligator; ut plerique, sua haurientium: sed erudito luxu, qui in omni cultu diligens, elegantiæ ac magnificentiæ peritus sit ostentator. Hi inquam tales, immergunt animum in externa; & eorum pulchro, ac prudenti (prout putant) usu inescantur. Et quia in veste, domo, supellectili, familia, procurant varia, ac comparant; Multa autem requirentibus, multa petentibus, necesse est desinit multa: ideò necesse quoque est, ut anxiè & avarè appetant: & ut consequantur, sæpè jus & fas, insuper habeant.

Eaque explicatur ac monstratur.

Pars, altera, Parcitas. Altera pars Avaritia est, non utentium rebus externis: idque nimia insana,

na,

na, & sordida parcitate. Etenim multi, falso obtentu posterorum; vel inani in senecta egestatis metu, vel nec causa, nec fine habendi; semper egent: semper appetunt: semper congerunt; & congesto pauperes in auro sunt: Dum, quod per tot labores, & curas, sæpè turpi questu paravere; recondunt: maluntque omnem penuriam sustinere, immò etiam emori, quàm sacrum tangere depositum. Itaque pendunt pænas vitii infelicis: aliis odio, sibi oneri sunt. Nec quidquam boni faciunt; nisi dum citò moriuntur: cùm sint omnium Officiorum desertores, & nulla erga quenquam charitate.

Ejus ingenium describitur.

Tertium genus avaritiæ est, apud eos; qui rebus externis abutuntur: nempe, apud prodigos. Isti enim, dum non alium fructum opulentiæ, quam profusionem putant; nullam curam, & cautionem erogandi habent: Sumptuosa convivia, ingentia in veste & familia impendia, immensa largitio, qua perdere sciunt, donare nesciunt. Ita, inquam, effusi in cuncta, queis pecunia prodigitur; dum sua decoquunt,

Pars tertia, Prodigalitas.

Ejusque mala.

quunt, aliena expetunt: & egestas insueta, ideoque intoleranda, acris causa Avaritiæ est. Cui semper tantum deest, quantum cupit. Cupit autem quantum prodigit; & prodigit immensum. Ideoque ejusmodi radix omnium malorum fit: fraudis nempe, injuriæ, perjurii; rapinæ. Quin immò, si animi sint acres ac violenti; sæpè seditionis, civiliumque bellorum. Tales, inquam, solent ad facinora converti: cuncta miscere: & privata damna, Patriæ malis reparare.

Remediũ erit non amare externa. Hæ sunt causæ: hæc mala avari animi; & Concupiscentia Oculorum peccantis. Remedio erit, admonitio Sacri Vatis: qua vetat divitiis, si affluant, cor apponere; id est amare, velut verè bona; cùm non sint: sed ex se, neque bonis, neque malis accensenda. Unde meritò exilis eorum æstimatio animo inseri debet. Caduca nempe sunt: mutationi, & alienæ potestati obnoxia: &, ut non eripiantur; morte tamen mox linquenda. Deinde, non vilia tantùm sunt, sed etiam noxia: Animum enim perturbant; & anxiè expetita, inquietant: dum acquiruntur, fati-

Quippe adiaphora.

Minuta, & caduca.

Noxia.

ſatigant : non adepta, torquent : poſſeſſa, non ſatiant : denique cuſtodita metum; erepta, vel amiſſa, dolorem adferunt. Quod ſi verò ad votum ſuccedant, & poſſideantur; tamen nihil ex illis accedet ad interna illa, veraque ſolatia : quæ pura tantùm, & vero Bono, id eſt, Deo nixa, mens conferre poteſt : &, quæ tantò majora ſentiuntur; quantò quisque ſibi plura negaverit. Intra nos, nempe, eſſe oportet, quod nos beatos faciat: externa, heterogenea animo ſunt : ideoque non ei miſcentur, ſeu uniuntur. Et quid ſtultius, quàm bonum rationalis naturæ, in irrationabilibus quærere? Hæc ad tollendam Avaritiam, quæ ex fruitione. Addo: contra inſanam Parcitatem, utendum eſſe opibus. Niſi enim utare; inſania (ut apud Poetam eſt) par eris illi, qui cytharæ ignarus, cytharas undique còemat, comparet, aſſervetque. Porro uſui, ſi neceſſitatem tantùm ſpectes : facilè parabilis, ſufficiens, & ſuppetens erit. Prodigalitatem, ſeu Abuſum diſſuadet, quæ luxum humili greſſu comitatur egeſtas: jubens quidvis agere & pati : agere, inquam,

Et quæ nihil ad animum.

Non decet itaque illis frui.

Sed uti.

Non verò abuti.

quam; iniqua; & pati indigna. Ita hinc orta Avaritia, aut ſcelerata, aut miſera, ſemper verò perdita erit. Quam ut evites, regulam tibi conſtitues erogandi: eam verò dictabit parſimonia; virtus huic vitio oppoſita: de qua ſuo loco.

Pars Capitis Tertia.

Declaratur tertius rivus peccati, nempe Superbia vitæ.

Definitur Superbia vitæ. – Sui amãtem cupiditatem.

POſt detectam corporis, & (ut ita vocem) fortunæ, diram cupidinem; supereſt: ut animi φίλαυτιν ἐπιθυμίαν excutiam. Concupiſcentiam nempe ſui, quæ eſt ſuperbia: quæ definiri puto commodè poteſt; ejus, quod eſt ſupra id, quod ſumus, uſurpatio.

Ejus origo.

Oritur: dum totum hoc, quod ſumus, nos accepiſſe à Deo obliviſcimur; aut certè, non ut oportuit, meminimus. Deinde, etſi accepiſſe cognoſcimus; tamen tanquam ex merito, & debito datum. Poſtremò dum plus nobis attribuimus; quàm datum habeamus.

Et materia triplex.

Quamvis verò hanc Concupiſcentiam, dixi, animi eſſe; tamen materies ejus, non ab illo tantùm eſt, ſed à dotibus

 etiam

etiam corporis, ac fortunæ. Unde, à triplici hac materie, prodibit triplex animi elatio.

A Corpore Ferocia. Prima à Corpore: quam Ferociam voco; nempe viribus corporis nimis fidentem elatumque animum. Sunt enim, qui nacti corpus vegetum, validum, laboris patiens, dum robur ejus respexere; facilè induunt animum arrogantem: acres ac violentos Spiritus sumunt: acerbo fiunt ingenio: truces, feri, contemnunt infirmos, & deprimunt: cunctis terrori esse volunt: simulque & in altum efferuntur, & rabie efferantur. Gigantæa nempe proles: quos à staturæ magnitudine; id est corporis viribus famosos, potentes, nihil nisi bellum scientes, disciplinæ, seu mansuetioris vitæ ignaros, Scriptura vocat, & quos Poetæ θεομάχους faciunt. Ita nempè Superbia exinde orta, quanquam revera fragili nitatur fundamento; tamen plurimum extolli solet: dum audax, nihil ratione, sed vi tantum, ac impetu agit; & quantumvis ardua, altaque, appetere, & adipisci, eousque conatur; donec seipsam perdat: & præcipitet.

Quæ describitur.

DEUM oppugnantes.

A rebus externis Fastus.

Alterum Superbiæ genus, à rebus externis ortum, vocabo Fastum. Nempe ex affluentia earum, vanæ gloriæ vento inflatam mentem. Porrò inter externa numero non solùm opes, nobilitatem, potentiam, cæteraque infra animum; sed etiam naturales ejus facultates. Pertinet namque ad fortunam, quidquid sorte nascendi contingit: & totum id, velut externum est, quo hominibus apparemus, & videmur. Unde duplex erit, velut dos, fastuosæ elationis: Affluentia nempe mundanæ felicitatis; & excellentia naturalium animi facultatum. Primùm, cùm insanum vulgus adeo æstimet; ut propterea Sectatores, & turbam famulantium, venerantium, blandientium, promptè exhibeat; facit: ut animus, inani plausu illius, sui obliviscatur: extra se totus exeat: se totum vanitati aptet, & accommodet: & ab interna ista, & inani elatione; sensu, verbis, actione, ad ostentationem, pompam, tyfnum se componat: quod mimicè prorsus, & Histrionum instar, fastuosi isti exercere solent. Alterum, dum nempe Memoria, & Intellectus solito

Qui duplex.

A Fortuna factus ad ostentationem.

A dotibus ingenii, judicio arrogans.

solito obtigit felicior; & deinde studio acquisita doctrina, & scientia, animum occupavit: & quæ potissimùm eum vanè ostentat, longè provehit, opinione inficit, (quippe quidvis struendi & destruendi artifex) Eloquentia: si istarum, inquam, dotum præstantiam, quispiam sortitus est, facilè arrogantiam judicii sumit; ac usurpat. Arrogans verò hocce judicium, si ad actionem se accingat; è contemptu aliorum, quibus præcellere se censet; alta concupiscit; & sæpè ambit: fiuntque tales in Repub. imperii impatientes, & seditiosi. Si in cognitione veri ponit operam; aut in Philosophiam labitur, aut in hæresim. Philosophiam intelligo, quæ rationis propriæ tantùm viribus constat; & nititur: prout fuit vetus illa, ἄθεος διδασκαλία, religionis contemptrix, & Dei aut pe nitus oblita, aut tanquam per insomnium memor: ipsa verò, adeò plena inanis & insanæ fiduciæ; ut diceret Sapientem Deo parem. Hæresis verò est, quæ scientia inflata, autoritatem receptæ & constitutæ doctrinæ spernit: judicio proprio eligens dogmata; eorumque censuram arrogan-

Vnde aut Philarchia.

Aut Philosophia.

Dei nescia disciplina.

Aut Philodoxia.

ter exercens. Ita utraque hæc, aut contemnit fidem; & irridet: aut dum ad suum captum aptat; tollit. Jam verò à voluntatis etiam facultate fastus oritur. Quibusdam enim, ab indole meliori, est moderatio affectuum; & placida animi tranquillitas: exinde verò ad officia virtutum velut congenita quædam propensio. Natura videntur boni, si ad vitia non multum proni. Et videntur sæpè magis, quàm sunt: unde provenit suavis, & blanda φιλαυτία; & dum in se confidunt, tanquam justi, profectus incuria; & ex omnibus istis, interitus veræ Probitatis.

A voluntatis facultate, amor sui.

Amor sui.

Sed tertium, & perniciosissimum elationis genus est: quod ab interiori animo, &, ut loquimur, Spiritu producitur. Deus enim Spiritus est; ideoque vult adorari in Spiritu & veritate. Si itaque quispiam, subacto corpore & fortuna, animum depuravit; id est, in Spiritum vertit; illum verò ad se mirandum, sibique complacendum convertit; & à Deo hoc ipso avertit; is Deum Spiritu oppugnat: fit ei injurius: quippe donis & auxiliis ejus fultus, eum aspernatur, & à se removet. Ideoque

Ab animo propriè superbia.

que quod acceperat, amittit; & turpi lapſu perit. Hæc eſt vera, proprièque dicta Superbia: ab hac initium accepit peccatum. Nam & rebellis ille Spiritus, aliter quam Spiritu ornato gratia, & gloria, ſuperbire; & velle æquari Deo non potuit: & homo, re Spirituali, nempe cognitione illectus eſt; per quam fieret ſicut Deus. Itaque Ferocia, & Faſtus, velut coram hominibus fiunt; Superbia propriè in conſpectu Dei: qui ei reſiſtere, id eſt, quodammodo ſe ab illa avertere dicitur, & humilia reſpicere in terra, & in cœlo. Hæ ſunt partes Superbiæ, à corpore, à rebus externis, & ab animo ortæ.

Primogenita peccati.

Deo maximè adverſa.

Cæterùm materies eorum, aut plenè, & ad votum, non habetur; aut habetur. Si primum; oriuntur vitia pauperis ſuperbi. Nempe ſtudemus Jactantia aliis imponere; deinde ſatagimus augere ambitione: contendimus per æmulationem: in victoria, contumelia utimùr: ſi vincamùr; invidia. Si alterum; mirum prorſus eſt, quantum felicitate corrumpamur. Fortunata enim Ferocia, tota in belluinam naturam mutatur; cuncta vi ac violentia agit:

Vitia ejus dum pauper eſt.

Vitia ejuſdem abundat.

git: hinc cædes, bella, id eſt, populorum latrocinia; & illud occiſarum gentium grande ſcelus. Faſtus compos felicitatis mundanæ, mentis impos fit: gloriæ vento abripitur: & eò veſaniæ devenit; ut per illum, (portenta hominum!) ſe Deos non dici tantùm juberent; ſed etiam coli. Magnis deinde animi dotibus inflatus; impius eſt; fanaticus: blaſphemus: profeſſus hoſtis Dei: famulus, & cooperator Dæmonis. E quo Apoſtatæ, Seductores, & Hæreſiarchæ; quorum proprius character eſt, ut ſint filii perditionis: nam ſe perdunt, & alios. Denique ab animo interiori, & puritate Spiritus, orta ſuperbia, illuditur variè à Dæmone, mutato in Angelum lucis. Primùm dulcedine inani fruitionis: tum ſæpè extaſi: raptu: & falſa gloria animæ, in corpus etiam per miros effectus defluente. Unde ſuboritur complacentia, amiſſio gratiæ, & damnationis præcipitium.

Remediū ejus, notitia ſui. Sat puto aperui cauſas: partes: malaque Superbiæ. Remedium adverſus immane hoc, & maximè inimicum Deo vitium, unicum eſſe exiſtimo: nempe

ſui

ſui ipſius notitiam. Quod etſi vetus quoque Philoſophia vidit; & velut oraculum agnovit: attamen nec plenè intellexit, nec implevit. Notitiam enim ſui, ſeu à corpore fragili, ſeu ab externis adeo viribus, ad deprimendam ſuperbiam, idoneam; facilè agnovit: & meritò exinde σωφρωνεῖν præcepit: ſed cùm ad animum venit; admiratione ejus abrepta, tota in faſtum exanuit. Atqui undique, ad omnem nos modeſtiam, non duci tantùm, ſed etiam compelli, manifeſtum eſt. Ferocia enim, ut altos ponat Spiritus; vel invita à corporis fragilitate adigitur: cujus non vigor tantùm, ſed vita etiam facillimè interit. Vita, inquam, halitus tenuis; brevi tempore ſuapte extinguendus: quem ſupprimit ſæpè, levi cauſa, morbus: quem eripere poteſt, quidquid tandem eſt: Nam ortus illi unus, exitus innumeri. Porrò ſi illa tam inſtabilis; cur homo firmitate corporis ſuperbiat, ejuſque virium opera, tam alta moliri conetur? Itaque ab hac tui parte, noſce te; & non ad vim corporis animum apta; (quod eſt proprium Ferociæ:) ſed ad vim animi

Temperanter agere.

A corpore fragili contra Ferociã.

 corpus

corpus redige: exerce; doma; & quandoque libens impende: quæ est, ut ostendam alibi, Fortitudo. Ista sunt, quæ ferociam tollunt. Ad exvendum verò Fastum ducit: primò; rerum, quæ extra nos, vilis conditio; & par illis æstimatio. Quam superiùs cum satis demonstraverim; superfluum est repetere. Certè exinde extolli, tam insanum est; quàm commodata ad tempus aliena veste, vel comico ornatu, aut persona superbire. Ducit eodem; naturalium animi facultatum imbecillitas: quarum tenebras, hallucinationem, miseriam, quando non experimur? In memoria; ecce confusa phantasmatum multiplicitas est: in intellectu; erronea opinio: in voluntate, inordinatus amor: quæ nisi in nobis videmus continuò; valde ignari nostri sumus. Itaque ut id agnoscamus: & ne vano fastu inflemur; sibi attendere, & se nosse decet. Postremò, eadem sui notitia, etiam ab interiori animo, vetat extolli, ac superbire. Quamvis enim eximius ille est; tamen quantus quantus est, ab alio est; & ipse per se nihil. Quamvis superemineat; tamen

A vilitate rerum externarũ, contra Fastum.

Ab animi instabilitate, contra superbiam.

Deo

Deo comparatus, pusillus. Quamvis denique virtute, & gratia pulcher; tamen à se fædari facilis, & ni Divino sustineretur auxilio, continuò culpa turpis. Hæc tria probè expendentem, humiliari coram Deo necesse est. Quis enim de alieno, minuto, & corrupto superbiat? Itaque vera animi notitia, ad omnem modestiam flectamur. Quod non abjectionis est: sed roboris, ac firmitatis. Id enim verè est sibi dominari; seque majorem effici: quod summum fortitudinis opus esse, cum de illa agam, demonstrabo.

Quæ cuncta humiliari cogunt.

CAPUT II.

De Regimine Commotionum seu de μετρπιοάθεια, *Altera Parte* PROBITATIS.

ABsolvi primum officium Probitatis. Ordior alterum: nempe Regimen Commotionum, id est, Affectuum, Perturbationum, ac Passionum. De quibus dicam quædam paulò aliter, quàm vulgus Philosophantium solet. Et primùm ostendam istas Commotiones esse; & quid, & quot sint:

deinde quales ſint : poſtremò quales eſſe debeant. Erit ergo;

Pars Capitis Prima.

An ſint, quid ſint, & quot ſint Commotiones?

Vetus cōtentio de affectibus.

INter Sectas veteris Philoſophiæ, acris, ut notum eſt, fuit illa de Affectibus controverſia, & contentio. In eo fere ſita: quòd Peripatetici eos temperarent; Stoici tollerent. Illi, à natura eſſe, ideoque inevitabiles, & moderandos tantum; hi, ab electione, & voluntate; ideoque tolli poſſe, ac nullos eſſe debere; non parvos. Denique illi cenſebant, impetum ac vigorem animi ab illis eſſe; ideoque, ſi modus adſit; laudabiles: hi, quaſi morbos ejuſdem dicebant; ideoque vitandos prorſus Sapienti. Et multa ultro citroque argutabantur, ſueta illis λογόμαχια. In quo utrique fruſtra fuerunt. Nam & hi, qui affectus prorſus ſuſtulerunt; & illi, qui modum tantùm, non verò finem etiam eorum ſpectarunt; aberravere. Sed tota hæc pugnax

In quo ſita deſcribitur.

Verborum velitatione. *Et vana oſtenditur.*

gnax disceptatio, uti & alia, quæ de Affectibus prodita hactenus sunt, nunc primùm, puto, patebunt evidenter, ex hac, quam sic instituo tractatione.

Apertum & evidens est, omnibus rebus inditam esse appetitionem eorum, quæ suæ naturæ conveniunt. Ea appetitio, in rebus inanimatis *Pondus* est ad locum proprium; In viventibus *vegetatio*; In sensitivis *Instinctus* ad se, speciemque suam conservandam; in ratione præditis *voluntas*; seu effectus ejus, Amor: qui unum, proprium naturalemque terminum, habeat necesse est; alioqui supervacaneus, contra naturam naturæ esset. Hic autem terminus ejus est, Bonum. Bonum autem est; quod propriè, & unicè ei naturæ, cujus bonum est, convenit. Amor verò, dum hic vivimus, nihil est in nobis aliud, quam incitatio & fervor voluntatis, ad apprehendendum agnitum istud Bonum. Cui oppositum Odium; seu ejusdem voluntatis aversio à malo.

Origo cõmotionum generica.

Porrò ut illa prima τῶν ὄνων, si obtineant id, quod naturæ eorum convenit,

Entium.

venit, conquieſcunt. Si verò impediantur, arceanturque; commoventur: & vim ſibi inferri, aperta reſiſtentia oſtendunt. Ita & homo, ſi potiretur, frueretorque bono ſuo, in quiete ſeu gaudio eſſet: omnis commotionis, nempe affectus, Perturbationis, ac paſſionis expers. Sed quia, vel nondum boni planè capax eſt; ideo Affectu movetur: vel circa bonum impeditur; ideo neceſſariò perturbatur: Vel denique partim imperfectè fruitur; partim fruſtratur; ideo Paſſioni ſubeſt. Et hinc patet, triplicem hanc eſſe Commotionem: dum hìc vivimus, neceſſariò nobis adhærentem.

Origo earundem ſpecifica.

Nempe Affectuũ.

Primum enim, non eſt homo plenè capax boni, quamdiu hìc vivit. Quippe (ut in ipſo limine ſcripti docui,) Bonum ejus Deus eſt: Deo verò frui hìc plenè non poteſt: ideoque nec affectu carere: cujus cauſa & origo vera eſt, Amor non compos Boni: Et definire illum poſſis: Motum amoris, bono ſuo non fruentis. Hic motus, cum duplex ſit, nempe, quo nos amor ad bonum fert; & quo odium à malo removet; Duplex erit & affectus: De-

ſide-

ſiderium ſcilicet ; & abhorrentia, ſeu Fuga.

Deinde, cùm infirmitas naturæ, ex Spiritu ac corpore conſtitutæ, impediri in conſequendo facilè poſſit ; ideo perturbari eam neceſſe eſt. Perturbationem verò definio : Amoris ex præpedito, aut dubio bono commotionem. Ea eſt quadruplex. Nam ſi ita impediatur bonum, ut vinci tamen poſſit impedimentum ; tunc provenit ira. Si bonum adfuturum videatur ; oritur Spes. Iterum verò ſi impediti boni, periculum appareat, à malo Metus naſcitur. Si certò malum putetur futurum ; prodit Deſperatio. Unde patet, quatuor prout dixi, perturbationum ſumma genera eſſe : duo ad bonum, totidemque de malo. Sed perturbationes iſtæ, valde moderatæ ſunt ; unum, verum ; bonum continuò appetenti. Eſt enim illud natura ἀκώλυτον, καὶ, δυσαφαίρετον, id eſt : quod nec impediri, nec prohiberi, multò verò minus eripi poteſt, niſi ipſe velis. Itaque ira, metus, deſperatio, tamdiu locum vix habent ; quamdiu homo unum, verum, bonum quærit. Spes tantùm

Perturbationum.

manet :

manet : ſed blanda, & interdum gaudio brevi mixta : ut Apoſtolus jubet eſſe bonos, ſpe gaudentes. Niſi quod quandoque Deus vel permittit, vel immittit etiam, breves quidem, ſed tamen acres iſtas turbellas in bonos : ſeu in pænam alicujus culpæ; ſeu in exercitium virtutis; ſeu denique in ſtimulum, ac incitamentum : ad appetendam tantò magis veram, ac immotam quietem, quæ nos olim manet.

Paſſionū. Sed tertium Commotionum genus, poſueram Paſſiones: non minùs, quam duo prima, inevitabiles. Idque ob fruitionem, vel brevem, vel fruſtratam. Eſt enim Paſſio : amoris ex bono, aut aliquantum poſſeſſo, aut amiſſo, ſenſus exultans ſuavitate; vel concidens amaritudine. Ille eſt lætitia, hic triſtitia.

Vnde patet ſapientem non eſſe apathem, ſeu impaſſibilem. Impaſſibilis.

Non erit itaque Sapiens, id eſt, vir bonus, in ſtatu hoc mortali ἀπαθής, ut Stoici nugabantur. Quia ſecuritas, perpetuitaſque pacis, & quieti gaudii, adhuc illi deeſt. Malus verò, & qui ſtultè falſa bona conſectatur, evidens & neceſſe eſt, ut Affectibus, Perturbationibus, Paſſionibuſque multò magis

Multò minùs malum, ſeu ſtultum.

magis commoveatur. Quippe, & ægrè consequi ac retinere potest, quæ extra ejus sunt potestatem; Et ut consequatur, habeatque; tamen minimè quiescet: nempe, non in bono. Itaque & avida cupiditate inhiat bono, quo expleri nequit: & aversatur frustra id, quod non est malum. Deinde & ira exæstuat, inque audaciam impetu ruit; dum illi facilè, bonum opinabile impeditur: & alternante spei, metusque fluctu agitatur, quatiturque; dum adeo dubia, & incerta petit. Denique aut effertur vana, brevique lætitia, si contingat consequi opinabile bonum; Aut tabescit dolore, si eo frustretur. Et hæc illi continua, gravis, & infelix pugna est, in animo decepto, & frustra quietem in falso bono quærente.

Pars Capitis Secunda.

In qua Amoris tres proprietates ostensæ: tùm singularum commotionum qualitas, & efficacia.

HAbes reclusum Commotionum fontem: Ex quo, etsi facilè qualitas earum peti, ac hauriri potest; tamen

Præmittitur amoris energia. men ſingulas ſeparatim producam: Sed præmiſſa prius, explicataque breviter amoris energia: hæc enim probè intellecta, lucem Commotionibus iſtis confert.

Se perfectius appetit. Amoris itaque prima proprietas eſt; ut majus ſe quidpiam, perfectiuſque appetat. Bonum enim ſemper potius perfectiuſque eſt re, cujus bonum eſt: atqui amor, non appetit niſi bonum: perfectius ergo appetit. *Vnit cum re amata.* Altera Proprietas; ut amor amatæ rei uniat. Etenim uniuntur ea facilè; quorum unum, & poteſt, & ſtudet apprehendere; alterum item, & poteſt, & avet communicari. Tale autem eſt Amor & Bonum: unde coaleſcant in unum, *In ea quà poteſt trāſmutat.* eſt neceſſe. Tertia, eaque ſumma Proprietas; ut amor non uniat ſolùm, ſed etiam, quà poteſt, tranſmutet. Eſſentiæ enim annexa operatio eſt: Amoris verò Operatio; dum ſe penitus linquit, & tota in amatum tranſiit; ideò in illum, & eſſe ſuum quodammodo transfert. Hinc verò conſequitur hæc, quam dixi, tranſmutatio. Magna verò prorſus ac mira, in hiſce tribus, Amoris vis, ac energia eſt, per quam (ut benè quidam nuper dixit;) plus nobis

datum est in eo, quod esse possumus, quàm quod sumus. Datur enim libera optio, ut quodammodo id sis; quod esse volueris: id fias; quod amaveris. Hæc non re, sed verbis, pauca de Amore.

Ad Commotiones transeo; primùmque ad Affectus: quorum primus est Desiderium. Definitur: boni absentis naturalis appetitio. Propriè vocatur Affectus, quia afficit intimè voluntatem. Inest Amori; ejus inseparabile accidens: & dum hìc vivitur, ob absentiam, nunquam se plenè impertientis boni, perpetuum. Est nempe motus animi, quo ille fertur, quòcumque fertur. Si in verum bonum; etsi magno, placido id tamen facit conatu, pleno spei, dulci, ac jucundo. Appetit enim, quod Naturæ ejus convenit; quod eam explet, perficitque. Si verò fertur in bonum opinabile; quidquid agat, inutili anxietate, & cura; irritum conatum sentiet, & agnoscet se appetere, quod prava cupido suadet, reluctanti Naturæ, & invitæ. Alter Affectus, oppositus Desiderio, est Fuga: id est mali imminentis abhorrentia. Si verè mali;

Definitur primus affectus: Desiderium.

Alter: Fuga.

facilis esse potest, parato semper auxilio Dei, si invocetur. Sin illius, quod non est malum; stulta, inanis, & frustra est.

Perturbatio prima, Ira. Sequuntur Perturbationes. Et primum Ira: quæ est; Commotio animi aut resistentis, aut pugnantis in ea, quæ bonum impediunt. Meritò, & propriè Perturbatio vocatur: quippe ut plurimum inquieta, & turbata. Initium sumit ab Indignatione, qua velut decernit; comparans boni præstantiam, cum indignitate adversantis justam pugnæ causam. Et hinc sumpto impetu, resistit malo, forti tolerantia: oppugnat verò idem, animosa audacia. Difficillimè modum patitur: quippe sæpe incitata, fervida, ardens. Et dum omni conatu renititur, nititurvè; moderationem pusillanimitatem existimat. Si falsum bonum tuetur; aut in obstinatam pervicaciam vertitur: aut ad temeritatem prorumpit: Et victa angitur; & in victoria sævit, ac vindictam exercet.

Altera Metus. Metus, est Perturbatio opposita, contrariaque Iræ; ideoque definitur, Contra illa, quæ bono adversantur, resi-

resistendi detrectatio, & certaminis fuga. Oritur ex opinione, phantasmate, ac imagine mali: qua, si animus terretur; concidit: si verò modum teneat; recteque causam metus æstimet; & vereri sciet, & tutò aggredi. Tertia Perturbatio, Spes; nempe repræsentatio, & exinde velut odor quidam in animo, successuri desiderii, qui illum extra se promovet; ideoque perturbat. Ortum habet à possibilitate. Quæ si certis, firmisque niti videatur signis, producit fiduciam: A qua curæ, & laboris condimentum, conatusque calcar. Modum si excedit; vana & præceps est: & ludibrium sibi debet. Prona in illam magnanimitas: Desperatio illi opposita; id est, mali eventus, præsumpta opinio. Prodit ab animo pusillo; cui omnis difficultas magna, & insuperabilis videtur. Dum nimia; sæpe gravioris mali causa est; quàm sit, quod putat eventurum.

Tertia Spes.

Quarta Desperatio.

Ad Commotionum illud genus venio, quod Passiones vocavi. Inter eas primum est Gaudium. Hoc dum plenum, & immutabile est; quies est. Ergo non Motus, sed potiùs Pax, & Frui-

Passio prima, Gaudiũ.

tio. Sed quoniam, (ut dixi;) tale in in hac vita non contingit; ideo breve id, quod accidit aliquando, Commotionibus accensetur: Quia nempe commovet; dum continuò, & venit, & recedit. Passio verò propriè vocatur, quia in illo animus, non tam agit, quàm recipit. Definio illud: Usuram brevis fruitionis, velut possessi boni. Eget temperamento, etiamsi oriatur ex vero bono: prout ostendam; cùm ad Præcepta Commotionum veniam.

Altera, Dolor. Altera, veraque Passio est Dolor. Definitur: Ex bono non obtento, vel amisso, sensus mali. Frequens, & velut proprius est, mortalis vitæ. Præcipuè prima sui parte: & quatenus non est compos boni. Nec rejiciendus omninò, vitandusque; quin immò proficuus, salutarisque sæpè: dum Patientiæ, Pænitentiæ, Resipiscentiæ causa est: prout ostendam tertia, quæ sequitur, parte τῆς μετριοπάθειας.

Moderationis affectuum.



Pars

Pars Capitis Tertia.

Ostenditur, qualis esse debeat Amor: & ex illo communes primum regulæ, tum verò singularum Commotionum E'υταξία.

EX Natura ac proprietate Amoris, quam superiùs deduxi, ac comprobavi, consequitur necessariò: illum soli Deo deberi. Etenim, præter Deum, nullum aliud bonum, natura rationalis se majus perfectiusque habet; in quo conquiescat: Nec uniri valet; nisi ei, qui solus, & potest, & vult, infinita quadam ratione. Nec denique transmutari, quam in causam finemque. Alia præter Deum, infra illam sunt: Ergo non ejus bona. Si autem non bona; ergo non amanda. Neque uniri possunt; quia redamare nequeunt: multòque minùs in se transmutare; quia esse, quod Amor quodammodo transfert, nec recipiunt, nec refundunt. His de causis Deum tantùm naturæ rationali convenit, & expedit amare. Quodsi petas; quo modo? Dicam suo loco luculenter. Nunc hoc

Ordinatio.

Amor soli Deo debetur. Quia bono.

Cui uniri.

Immò & in illud possumus mutari.

solùm : Sine modo. Nec enim definiri poteſt ratio Amoris erga illud, quod eſt infinitum.

Commotionum prima regula: ut cauſam potiùs, quã modum ſpectent.

Atque hinc patet: Commotionum omnium cauſam magis conſiderandam, quàm modum: & priùs quales ſint; quàm quantæ, expendendum. Nam ſi circa unum, verum, bonum occupentur; plerumque menſura earum quò major, melior eſt. Si ad malum vergunt; etiam moderatæ, malæ ſunt. Itaque prima hæc regula communis, in regendis illis erit: ut accuratè inſpicias, unde ſint: & quò tendant. Si à bono, & in bonum; facili eas fræno reges, atque temperabis.

Altera, ut principio cohibeantur.

Altera Regula: ut ipſa initia earum moderere: & mora aliqua interpoſita, retineas, cohibeaſque; antequam impetum ſumant. Habent enim, (uti obſervatum rectè eſt:) gradus ſuos, quibus creſcunt: Etenim primum, viſum, ſeu phantaſia obiicitur: tum ſequitur διανόησις, id eſt cognitio: eaque recta, vel erronea; boni, malivè. Mox ὄρεξις, ἢ ἔκκλισις, id eſt appetitus; vel averſatio. Poſtremò ὁρμή; vehemens jam, incitata, & cum impetu affectio.

Ergo

Ergo circa ipſum initium hæreas paulisper; & propoſitum ordina, atque conſtitue: & ex illo Commotionis modum.

Particularia præcepta Deſiderii.

Ex his verò communibus, particularia præcepta facilè peti poſſunt. Atque imprimis, inter affectus, Deſiderii: Cujus unica, totaque Regula eſt, finis humani notitia. Eum omnes cenſuerunt beatitudinem: ſed in quo illa conſiſtat; diſſenſerunt: idque ignorantia Naturæ humanæ. Nam, qui illam interire, eoque poſt obitum loco, quo non nata jacent, putavere; quid miri eſt, ſi in rebus, aut actionibus hujus vitæ, aſſignarunt felicitatem? Atqui ea non eſt in hac vita. Non inquam, in rebus, quæ ad corpus, fortunamque pertinent. Nam cuncta hæc mutabilia, incerta, aliena: denique, malis etiam, id eſt infelicibus, communia. Non item in actionibus ipſis: id eſt, (ut olim, qui paulò altiùs philoſophabantur, docuere;) virtute: nam nihil agit ad hoc tantùm, ut agat: & ipſa ex virtute actio, finem ſcopumque habet ſe potiorem: qui merces ejus vera. Illa verò, poſt hanc mortalem,

In agnitione finis noſtri.

Qui non eſt in hac vita.

Non eſt in rebus externis.

Non in virtute propriè.

Sed in Deo. in æterna & immutabili vita nos demum manet: tunc ea fruemur; Deo, id eſt omni bono, ſe ulttò impertiente, & deſiderium mira, ignotaque prorſus ratione, adimplente. Itaque ad hanc finis ultimi regulam, atque normam, aptari debet deſiderium omne. Et, cum tota vis ejus & operatio ſit, velle bonum; & appetere id, quod ſummum appetendorum vocatur; id eſt Deus: appeti verè, & propriè, & propter ſe debet; reliqua propter ipſum, & quatenus fini conſequendo ſerviunt. *Fugæ præceptum.* Alter verò Affectus, qui eſt Fuga, præceptis aliis non eget; quàm, quæ contraria omnia deſiderio ſunt. Id eſt, ut toto animo fugiat malum, quod Deo adverſatur: Non defugiat verò nimiùm, nec abhorreat, quæ non ſunt verè mala.

Inter paſſiones Iræ præcepta. Ad Perturbationes venienti, ſe offert primùm Ira. Hæc ſi debitè oriatur; id eſt, ſi pugnat, aut reſiſtit contra ea, quæ impediunt unum, verum, bonum; quamvis in Cauſa juſta, tamen initio cohibenda eſt, ne efferveſcat: & in flammam, quæ brevis eſt, abeat: ſed in robore potiùs, conſtan- *Ut in cauſa etiam unius, ve-*

tiaque

tiaque immutabilis propositi, consistat. Secura victoriæ; si nec cedat loco, nec cesset oppugnare. Bonum enim verum, quid impediet? Tribulatio? angustia? persecutio? gladius? an mors denique? Certus sis, omnibus istis te superiorem fore: & aut fugabis cuncta, aut vinces; sustinendo. Si autem oriatur Ira propulsando, quæ non sunt propriè bona, sed commoda tantùm vitæ hujus; Tum & si jus habet, teneturvè officio, tueri quidpiam, aut repetere; tamen probè expendat: sitnè tanti quòd impeditur, aut eripitur; ut pugnam certamenque mereatur: taxabitque exinde sui modum. Deinde moderationem adhibebit, ne nimis commoveatur: ne in furorem, ac temeritatem dicto, aut facto prorumpat. Sed potiùs firmiter statuet; in causa bona, magno animo conari, aut resistere: & si non succedat; æquanimiter tolerare. Victoria enim in adiaphoris istis incerta, & dubia est. Unde in utramque partem paratum esse debet iræ temperamentum. Si vinceris; ne ringaris: ne iram frustratam, in te contorqueas: non te, non Deum incuses. Quin im-

ri, boni, non exæstuet. Et certa sit victoriæ.

In adiaphoris, etsi teneatur officio.

Tamen sibi temperet.

Victa non ringatur. *Victrix non sæviat.* *Definitio iræ ab Aristotele.* *Vindicta, sævities, vitia Iræ.* *Nã vindicta ejus vitium, & sævities.* *Illa innoxia alioqui.*

immò, vel conſcientia quamvis infelicis, impleti tamen officii; te ſolere, vel mederi ſtudeas: vel denique documentum in futurum cape. Si viciſti; ne vindictam ſumas: id eſt, ne dolore adverſantis fruaris. Falsò enim Ariſtoteles definivit iram, ὄρεξιν ἀντιλυπήσεως, id eſt, cupiditatem refundendi doloris: cùm id, non Natura, ſed vitium iræ ſit. Dolore enim alieno paſci quod bonum? quæ utilitas? Atqui nihil eſt à Natura; (ira autem eſt:) cujus non conſtet ratio boni. Meritò itaque vindictam ab ira legitima amoveo; uti & ſævitiem & crudelitatem, quæ ultionis filia eſt. Atrox malum; & quo rabiem ferarum vincimus. Nam illæ, brevi impetu ſæviunt; hominis crudelitas lenta ſæpè, meditata, & ſe paſcens, ac oblectans; dum, (ut ille dixit,) hominem homini perdere libet. Hoc verò demum eſt, quo potiſſimum ira malè audit: Cùm tamen non niſi dum vitioſa, & in noxam abit; ejus cauſa ſit. Alioqui innoxia. Bellatrix tantùm contra malum ſtrenua: officii animoſa cuſtos: excitatæ mentis vigor: denique Spiritus, ad magna incitans: & ardua aude-

audere, aggredi, & perficere juvans. Et hæc ad regendam Iram sufficiant.

Succedit ei opposita Perturbatio; Metus: qui si oritur ob ea, quæ vulgò mala putantur; hæc ne nimium nos exterreant, vera facie noscenda sunt. Paupertas nempe, Dolor, seu exitus ejus Mors; & denique Ignominia. Facilè enim patebit, cuncta hæc stultè omninò timeri. Paupertas enim Nobis congenita & propria, per quam nemo tam egens vivit, prout nascitur moriturque. Non est ergo mala, sed quæ in ortu nostro, exituque, docet; hominem sibi quoad externa posse sufficere. Dolor, si tolerari potest; parvus; si non; brevis. Eumque mors consequitur: id est, quies: id est, veræ vitæ initium. Igitur mala non est, nisi malis. Infamia, si ob flagitium venit; justa. Et culpa tantùm, quæ illam promeruit, mala. Sin immeritò; contemnenda: uti enim honor, ita & illa, est extra nos: alieni arbitrii: & verè, οὐκ ἐφ' ἡμῖν, Non est verò malum meum, quod non est mecum. Si verò hæc, quæ maximè timentur, mala non sunt; quorsum timebuntur? Detra-

Metum ut moderere.

Facit vera eorum agnitio, quæ vulgò & falsò mala.

Non in nostra potestate.

trahenda omninò illis persona, & larva, qua terrent: Et fatebimur; majus malum esse, timere; quàm sit illud ipsum, quod timetur. Victo autem timore ejusmodi, implebis officii finem: & circumspectio erit multa; nulla trepidatio. Timor autem veri mali, id est peccati, evitatio ejus esse debet: nec tam pavere decet illud, quàm abhorrere. At restat ille, timor Domini sanctus; & qui facit sanctos. Non ille tantùm, qui à terrore, Judicis malos punituri, oritur; (quanquam & iste proficuus: quo configi petit Psaltes; ut à judiciis Dei timeat: horrendum enim est, incidere in manus Dei viventis:) sed multò magis ille, qui pars est venerationis, Summæ illius majestatis, potestatisque; & qui Nos humiliet sub potenti manu ejus. Adsit itaque: non tamen ille servilis; qui meticulosam, pavidam, anxiè turbatam, & ad superstitionem factam conscientiam reddit.

Timor peccati.

Timor Dei.

Sequitur ratio Spei: Quæ ùt recta sit, ad idem uti Ira examen, revocanda est. Nempe causam primùm, deinde modum ejus, oportet expendere. Si fer-

Spem ut contineas, causam ejus expende.

fertur in verè bonum, id est Deum; non confundit. Freta quippe auxilio ejus; qui cùm se unum appetere jussit, vires addat, capaces sui, necesse est: sine qu bus, non potest obtineri. Ideoque non dubia possibilitate nixa, firma, & tandem rata sit oportet. Nec nimia erit: si cum Dei ope operetur, agatvè gnaviter; & in agendo imploret auxilium. Et hæc est Spes veri boni, quam Thologicam vocant Virtutem Scholæ: Cùm nobis qui non ex Lycæo, aut Porticu, sed ex Christi disciplina sapimus, non modo hìc, sed & omnis animi motus, omnisque virtus debeat θεολογίζεσθαι: id est ad Deum referri, ac velut consecrari. In summo enim semper repræsentare, ac proponere decet rationem affectuum, virtutumque: ut exinde tantò faciliùs fluant, ac deriventur minorum officiorum præcepta. Hæc spes, inquam, veri boni. Rerum humanarum autem fallax omninò est, ideoque cautè admittenda: ne nimis incitet, provehatque. Nam ventus hic, ni vela contrahas, abripit à recto cursu; & naufragii causa est. Necessaria ergo, quæ illum temperet,

In bono vero non cõfundit.

Hanc Theologicam vocant.

Spes circa externa fallax.

mo-

Itaq; non ei indulgendum.

modeſtia voti. Quam ſuadet primùm, exigua pars ævi, quam hic vivimus: Et, vitæ ſumma brevis, ſpes nos vetat inchoare longas. Deinde ſuadet Tranquillitas, quæ haberi non poteſt, ſi in rebus his multum ſpei indulgeas. Nam eorum ſucceſſu, neceſſe eſt, ut ſæpe fruſtreris: Unde perturbatio, & inquietudo. Itaque ſi vis conſequi (quod olim Stoici παραδοξέλεγον,) ut tibi nihil unquam inſperatum, nec præter votum eveniat: Moderare Spem; Et freno rationis contine. Et μᾶλλον θέλης το γίνόμενον, ſeu potiùs, quod ex præcepto æternæ Sapientiæ dicis quotidie; re ipſa præſta: ut nempe velis voluntatem Dei. Cum hoc tamen monito, ne iſta (ut proprio artis verbo utar) reſignatio, ullatenus impediat diligentiam, debitæ, & quam officium poſtulat, actionis.

Parodoxè loquebantur *Volũtati divinæ acquieſcendum.* Magis velis quæ eveniunt.

Deſperatio in vero bono nulla ſit; in adiaphoris rara.

Ultima Perturbationum Deſperatio. Vitanda in vero bono ſemper: in adiaphoris, quam diu poteſt: Poteſt verò facilè, ab animo Deo fidente. Et cur non fidat ei, qui ſummè poteſt, ſcit, vult, & denique promiſit homini bonum? Hac baſi firmata providentia,

& cu-

& cura nostri, securos nos esse jubet; & vetat desperare. Quod si verò apertè pateat, nihil spei reliquum; tum se fato permittat; & nec irritè repugnet: nec velit malus pati; pati, quod liceat bono. Deposita nempe Spes, quietum ultra, sed post expletum officium, reddat. Et postquam quæ debuit, fecit; exspectet: excipiatque, quæ jubeat. Ut verò non decet ejulare; detestari; se aliosque imprecationibus devovere: ita Spe abjecta, consciscere sibi mortem, nefas. Hactenus de perturbationibus.

Nec sit causa exitii.

Passionum verò regendarum præcepta, Gaudium imprimis requirit; Et requirit, etiamsi ex impertito vero bono proveniat. Suavitate enim sua allicit, & avidos sui facit. Haustum verò largiùs obest; officitque. Degustata enim dulcedine fruitionis, dum se compotem boni homo putat; ex natura gaudii quiescit: id est, in quærendo amplius bono subsistit. In hoc studio autem, dum hic vivitur, non progredi semper; nec proficere; retrocedere, ac deficere est. Ex defectu autem, delictum & corruptio. Oritur enim

Gaudium etiam in vero bono modū teneat. Ne exinde studium boni tepescat.

Hoc enim sæpe fit.

nim in animo ante tempus gaudente, diffuſio ſui, complacentia, inconſulta ſecuritas, incuria, & denique lapſus. Itaque plena illa fruitionis dulcedo, differri debet in illud tempus, cùm (quod Deus faxit) unicuique noſtrum dicetur: intra in gaudium Domini tui: &; gaudium tuum nemo tollet à te.

Fruitio, vitæ debetur, quæ nos manet.

Nec imponat illud Sapientis gaudium: quod hìc intra nos naſci, ex nobis oriri, noſtræ ſpontis, ac continuum eſſe, Stoici nugabantur: Et quod non benè definivit Seneca: Elationem animi, (hæc vitioſa ſemper) ſuis bonis, viribuſque, (hæ profectò nullæ) fidentis: quantò ſapientiùs dixiſſet diffidentis?

Gaudium Stoicum futile.

Quod ſi verò hìc, ne internum iſtud quidem, & ab animo gaudium, continuum eſſe poteſt; quantò minus erit adventitium illud, & ab externis rebus ortum? Certè eſſe nequit. Primùm, quia nixum incertis, & mutabilibus bonis; deinde, quia nec bonis. Quid enim iſta ad animum? immò ſi probè examines, contra animum ſunt: ejus vincula & compedes, & ad malum illicia. Itaque ex illis non prodit, niſi inanis lætitiæ exultatio; effuſa, & brevis:

A rebus externis falſum.

Quia non ex bono.

vis : Vitanda ſapienti. Quæ Ciceroni eſt, voluptas immoderata animi, ſine ratione geſtiens, opinione præſentis boni. Jure ergo riſum reputes errorem; & gaudio fallaci, cum hic vivis, dic, quid imponis, quid illudis, quid decipis? Præterit figura hujus mundi. Ibi fixa ſint corda noſtra, ubi vera ſunt gaudia. *Vitandũ itaque.*

Dolor, & vix admittit temperamentum; & non adeo requirit: prout docuere, qui in hac vita, apathejam neſcio quam, ſomniarunt. Primò enim, ſi in verè malum, id eſt in peccatum incidiſti; dolere, ac triſtari, bonum. Hæc enim, (inquit Apoſtolus,) ſecundùm Deum triſtitia, pænitentiam, in ſalutem ſtabilem operatur. Deinde, ſi dolor ſit in pænam culpæ; bonus itidem: & hic potiùs, dum minor, & non ex merito dependitur; expetendus. Sed præter has cauſas pænitentiæ, & pœnæ; proprium vitæ hujus eſt, dolere. Quippe extra Patriam ſumus: quippe in labore, impetimur à carne & mundo: quippe exercemur variè; ut mereamur. Statuit autem Deus, teſtandæ bonitatis ſuæ, gloriam; quam *Dolor non omnis fugiendus. Bonus eſt pœnitentia.* *Et pœna.* *Vitæ mortali proprius.*

 olim

olim paravit: non donum tantùm esse, sed etiam mercedem. Et mira benignitate, velut debere Nobis quidpiam, voluit: Hæc verò, quantulacunque (fas sit dicere) obligatio, doloris tolerantia, quam gratia confert, ut plurimum comparatur. Meritò igitur, sancta ἀσκήτρια illa alterutrum; aut mori, aut pati peroptabat. Atque ideo dolor ex his, quas dixi, causis ortus; bonus: adeo non vitandus, fugiendusque. At ille, qui ob mala externa provenit, coërceri debet. Dolemus autem ejusmodi malis; aut propriis, aut alienis: (quanquam profectò & his quoque privato respectu.) In malis alienis, miseratio est: quam rejecere Stoici, velut vitium (inquit Lipsius) pusilli animi, collabentis alieno malo: vel, ut Cicero; ægritudinem animi, ex alterius rebus adversis. At non rejicit Christi Schola, quæ rigorem omnem aspernatur; mansuetamque, ac teneram requirit pietatem. Hæc verò, si proximo opitulari aliter nequit; saltem condolet, & compatitur: cum modo tamen; & ad testimonium tantùm pronæ in auxilium, & beneficentiam

Contemplatrix.

Ob externa coërcendus.

In malis alienis commiseratio est.

Ejus modus, & ratio.

tiam mentis. In malis autem propriis cùm molles ſint mortalium animi; firmandi tantò magis, ne eos nimiùm frangat, abiiciatque dolor. Remedia roboris parandi, & conſtantiæ erunt. Primum: cogitare mutationes neceſſarias eſſe. Idque à rebus ipſis: quas indies experimur, ſuapte corrumpi, & interire. Nempe, hæc eſt lex mundi; ut quædam in illo deſinant, quò alia oriantur. Et naſci in illo vocatur, incipere eſſe aliud, quàm quod fuit ante. Porrò, ſi producerentur ſemper nova, ſeu natura, ſeu Arte; & nihil periret: non caperet orbis molem rerum. His verò de cauſis, ſi neceſſaria mutatio; neceſſaria erunt, & quæ ad illam ducunt. Velut, ſi homines decedere, & mori opus; Opus erit eorum, quæ morti famulantur: nempe morbis, peſte; bello, fame, tyrannide. Si verò hæc neceſſaria; ergo ferenda: idque libenter. Nam neceſſitatis non aliud effugium eſt; quàm velle, quod ipſa cogit. Alterum doloris remedium; cogitare: hæc quæ, vocantur vulgò mala, revera non eſſe: idque à ratione, quam ſtrictim; dum metum coërcui, dixi.

Doloris proprii.

Remediū primum: mutationis neceſſitas.

Ideo non ægre ferenda.

Alterum: falsò quædam mala vocari.

Tertium: bona esse Autore Deo. Tertium: non modò non esse mala; sed etiam sæpè bona: & utilia. Et bona, primum origine; nempe à Deo: bona etiam fine; nempe exercendi, castigandi, puniendi. *Et fine.* Omnis enim ista malorum externorum; seu calamitatum immissio, aut Bonos exercet, aut lapsos castigat, aut improbos punit. *Exercendi.* Exercitium bonorum, necessarium: primò; ut per illud, firmetur eorum animus. Nam quemadmodum, si Nautam te esse velis, per tempestates doceare; si Militem, per pericula: ita si verè virum; per afflictiones. Non enim alia ad robur via. Necessarium deinde ad experimentum: Ut nempe, quantum profeceris; periculum facias. Postremò, necessarium ad exemplum: ut tua tolerantia aliis præeas. *Castigandi.* Castigatio etiam bona. Et juvat; seu sit flagelli loco, cùm peccavimus: seu fræni, ne peccemus. Pœna denique bona: quæ tollit, quod castigatio non correxit. Decet verò justum Deum: expedit generi humano: cujus Societas stare nequit, malitia impunita. *Puniēdi.* His fere rationibus pulchrè equidem, sed φιλοσοφικῶς satis Lipsius, dolorem non tam cohibuit, *Philosophicè.*

buit, quàm sustulit. Cohibendus autem, temperandusque tantùm est. Impatibiles enim nos esse; nec est Conditionis Mortalium, nec Divinæ voluntatis. Et, qui sensum malorum non fatentur; mente obdurata, & pervicaci, velut in certamen provocant Deum: qui sola, sed mansueta, ac domita patientia vincitur: id est placatur. Et provocant tamen frustra: Nam scit ille telum hoc mærorum ita torquere; ut quidquid facias; tangi illo, indeque pati, ac dolere, sit necesse. Animum enim ipsum, & petit, & ferit: cujus exultatio, cùm sit, prout dixi, insalubris; mæror sæpè proficuus est. Beati ergo, qui lugent, & patiuntur patienter. Non uti malefici; sed propter Deum. Hic character bonorum est. In tentationem, & dolorem ergo, si incideritis; beati; quia merces copiosa: & non sunt dignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ nos manet.

Non prorsus dolori contra nitendum.

Frustra enim, cum sit à Deo.

Ideoque sæpè proficuus.

CAPUT III.

De εὐπραξία, seu exercitio Virtutum, tertia parte Probitatis.

QUemadmodum illa, quæ colore, & ſucco medicata eſſe velis, primùm munda reddere; deinde, quò faciliùs humorem imbibant, variè præparare; poſtremò madefacere etiam, aut intingere oportet: ita animus humanus, per ἀναμαρτησίαν purus; per μετριοπάθειαν aptus; tandem, ut habitum acquirat, & velut ſuccum imbibat virtutum; tingendus: aut potiùs imbuendus eſt ſalutaribus præceptis: è quibus prodibit hæc, quam tertiam partem Probitatis feci, εὐπραξία, ſeu exactum Virtutum exercitium. Inſpiciemus ergo hoc capite officia ejus: & primùm dicam; quid ſit virtus: deinde, Qualis eſſe debeat. Tertiò, Quomodo, & unde inſit homini. Hæc verò ſingula compendio; Et magis, opinor, ex natura rei, quam recepta methodo, & præſcripto Scholæ.

Fugam vitiorum. Affectuũ moderationem.

Tripartita hujus diviſio.

Pars

Pars Capitis Prima.

Quid sit Virtus, ostensum; ejusque & Unitas, & Partitio.

A Definitione ut incipiam; Virtus, *Defini-*
est perfecta in homine ratio, in *tur.*
habitum versa, actus ejus dirigens. Ra- *Et expli-catur.*
tio inquam perfecta, quæ à Deo illustrata, ac directa, principium est ejus, quod homo, qua est rationalis, agit: idque per ἡγεμονικὸν illud, Stoicis nominatum, quod Seneca Principale, Cicero Principatum vertit; id est, partem
animæ præcipuam, in qua λογισμὸς re- Rationa-
sidet: cujus est dominari, & imperare le.
omnibus Animæ facultatibus. Et in memoria quidem ratio hæc, ut consummata sit; victrix esse debet mutabilitatis: qua non constat sibi homo; fines varios proponendo: Ignorantiæ in Intellectu, qua à vero aberrat, & opinatur: Pravitatis in voluntate, qua in malum labitur appetitione: Effectrix
verò τῆς ὁμολογίας; &, ut ita dicam, u- *In quo consistat.*
niformitatis: τῆς γνώσεως, seu veræ cognitionis: denique τῆς ἀγαθωσύνης, id *Ut effi-*
est rectissimæ bonitatis. Quæ tria, eùm *ciat Constantem.*

efficiunt Cogitatione, Verbo, Opere; Constantem, Sapientem, Sanctum.

Conveni-enter vivere: seu uniformi ratione.

Et primùm oportet ὁμολογȣμενῶσ ζῆν, quod summum bonum homini, quidam posuere. Id verò est, semper unum velle. Nec opus est exceptione uti; ut bonum nempe sit, quod velis: cum non possit cuiquam semper idem placere, nisi bonum. Itaque unum est necessarium. Sed quoniam non potest appeti unum, nisi ejus contingat notitia; & ignoti nulla sit cupido: Ideo, si vis eadem semper velle; vera etiam, seu cognita, oportet velis. Necessaria ergo erit & cognitio: unde quispiam dixit, γνῶσιν τελειότητ εἶναι. Postremò, appetere, & nosse non sufficit; nisi etiam apprehendas: id verò fit sanctitate.

Sapientem.

Cognitionem, perfectionē esse.

Sanctum.

Ex triplici hac parte, mira prodit ἑ'νωσις virtutis. Una enim est ratio recta: &, quæ in illa enumeravi tria; quia singula per se, id est in monade separata, existere nequeunt, quin contineant in se duo reliqua; ideo ex illis, miro modo unita existet virtus. Quam seu Sapientiam, seu Prudentiam nominare licet: normam nempe & regulam ejus habitus; qui naturæ humanæ, pro-

Unitas, seu unio. *Una virtus.*

ut rationis incorruptæ eſt, convenit. Hæc eſt velut fons, & radix omnis bonæ actionis, & Virtutis.

Quæ etſi origine una ſit; diſtingui tamen trifariam, & poteſt, & ſolet: non in ſe tantùm, prout oſtendi; ſed à Materia etiam, & à rebus, quarum rectum uſum præcipit, ac exequitur; & quarum triplex velut claſſis eſt. Partim enim corpus ſpectant; vel ad uſum vertendæ moderatum, vel abjiciendæ omninò: circa quas occupatur Temperantia, oppoſita nempe Concupiſcentiæ carnis. Partim, velut extra nos ſunt; poſſidendæ, vel alteri tribuendæ: quas diſponit, diſtribuit, ordinatve Juſtitia: quæ concupiſcentiæ oculorum contraria. Partim denique ad Animum pertinent, vincendæ, regendæ, ac continendæ: quibus debetur Fortitudo; quæ vitæ ſuperbiam, prout oſtendam, vincit, frænat, ac continet. Itaque tres iſtæ, ex triplici claſſe rerum, Cardinales, ut vocant Scholæ, virtutes erunt. (Prudentiam ſi excipias; quæ communis, una, & Univerſalis:) ad quas reliquæ, prout oſtendam, referuntur. De quibus Quid, & Quot ſint, dixiſſe hæc

A triplici tamen Materia, triplex.

Circa Corpus, Temperantia.

Circa externa, Juſtitia.

Circa animũ occupatur Fortitudo.

pau-

pauca sufficiat. Patescet verò id meliùs in hoc, qui sequitur, Paragrapho.

Pars Capitis Altera.

Monstratur, Qualis esse debeat Virtus: & præmissa Prudentiæ uberiori notione, monitisque ejus; singulæ, prout tributæ sunt, explicantur.

Prudentia virtutes regit. PRudentiam ex divisione Virtutum excerpsi, ac separavi; velut universalem omnium Directricem: ideoque non aliam illi assigno definitionem; quam, qua Virtutem definivi. Est nempe illa, velut specimen quoddam, ac imago, divinæ illius Sapientiæ; quæ una, simplici, æternaque contemplatione, in omnibus verum vidit, novit, & per quam benè omnia fecit. Hanc si homo sibi convenientem, & analogam haberet; haberet omnino veram regulam, ac normam omnis actionis; mensuramque implendi officii. *Cur sit difficilis.* Sed difficilis & ardua, plures ob causas: nempe partim propter imbecillitatem animi humani; cujus judicium, & primigenia labe infectum, & consuetudine corruptum: Partim propter

res

res ipsas: quarum natura proprietatibus abdita, copia prope infinita, circumstantiis singularibus variabilis.

Etsi verò in tanta difficultate; tamen habenda, & comparanda est. Unde autem? Facilis, & (ut loquimur) adæquata responsio erit: à Deo; qui totus mens, & ratio, & intelligentia. Apud ipsum (ut Job inquit;) Sapientia: & (ut Salomon;) Dominus possedit illam, antequam quidquam faceret. Unde non adventitiam, & à rerum cognitione haustam habet; sed omnium effectricem, atque causam: ipsam verò à se ortam, in se permanentem, & purum actum, non δυνάμιν, sed ȣ̓σίαν. Solus autem cum habeat; solus etiam & conferre potest: uti & naturæ Author, & gratiæ. In illa ingenium docile, & judicium perspicax largitur; in hac, auxilia illuminationis. Sed quia separatim agam, unde insit homini virtus, eamque à prima causa derivabo: nunc è secundis & proximis; pono primùm, Doctrinam. Etenim illa nihil aliud est; quàm benè intellectarum rerum, in memoria conditorium quoddam; è quo cùm volumus

Habenda tamen primum à Deo.

Potentiã, essentiam.

A quo dotes naturæ, & gratiæ.

Habenda à doctrina.

mus, depromimus, quæ usui esse possunt, ad similia ex similibus dijudicanda. Unde, qui non modo plura, sed quod multò majus est, benè cognita recondidit; faciliùs potest, habebitque ad manum, quibus utatur. Nisi quod à Doctrina sola, generalia tantùm præcepta petantur: quæ nisi exactum judicium particularibus aptet; sæpiùs error subrepet: nasceturque superba, ac pertinax opinio. Unde necesse est; ut usus quoque accedat, alter velut Prudentiæ parens: & qui Doctrinæ, ut ita dicam, promus condus est: experimento docens, aut monstrans potiùs singularia: circa quæ Prudentia præcipuè occupatur. Hæc verò tria; Nempe, Dei munere natura apta, doctrina seria, & usus denique, si adsint, & in unum conveniant; tum demum firmam certamque Prudentiam facient.

Denique ab usu.

Cujus vis, & energia cernitur, partim cùm contemplatur; partim cùm agit; partim cùm facit. Contemplatio, est visio quædam, seu intuitus veri; isque non illusus, deceptusque. Actio est, ex ista notione dictamen animi, quomodo se gerat, implendo quod natura

Ejus energia.

In contemplatione.

Actione.

tura tenetur. Factum seu efficientia, ejusdem animi velut externum opus, quod in quovis negotio benè peracto cernitur. *Facto.*

Duo prima ad Sapientiam spectant; Hoc postremum propriè Prudentiam esse volunt. Quod, quia ad officia, quæ ducimus, magis pertinere videtur; ideò paulò diligentiùs explicandum est. Primùm igitur quod Prudentia facit, est Consultatio: quæ quid agendum, omittendumvè sit; quærit: & variè indagat. Cui propria sollertia, seu sagacitas: ea enim modum, & media adinvenire studet, vel expediendi negotii, vel omittendi. Altera pars est, Sententia: quæ directo quodam judicii dictamine, quod consultatio quæsierat, & solerter adinvenerat, decernit; & rationibus apparentibus rejectis, unum, certumque quid statuit. Illi annexa providentia, & consideratio eventus secuturi. Etsi enim iste incertus; attamen exacta prudentia, ut plurimum illum conjicit, & assequitur. Unde non malè illam, Divinationem vocat quispiam; Certiorem utique ex causis, quàm ex astris. Tertia pars est Execu- *Hujus postremi prima pars, consultatio.* *Altera, Sententia.* *Tertia, executio.*

tio:

tio: quæ id, quod consultum, constitutumque est, effectum reddit. Huic propria circumspectio: quæ circumstantias negotii videt, & aut cavet, & evitat impedimenta; aut subita casuum, qua potest, emendat. Hæc de Prudentia abstractè, & generaliter:

Munus præcipuũ prudentis, vitæ genus eligere.

Cæterùm præcipuum, potissimumque, quod ab illa ducitur officium est: certum vitæ statum eligere. Cujus etsi varia sit sors, atque conditio: tamen ad tria summa genera, non incommodè referri solet. Primum est: quietum, & à negotiis subductum; Actuosum alterum; Tertium, mixtum; & ex utroque temperatum. De singulis dictamina quædam prudentiæ, non abs re erit subjungere.

Quod triplex.

Quietum sine desidia.

In primo igitur vivendi genere, vitanda est improba Syren, desidia: quæ invisa primùm; ut ille ait; postremò amatur: Prono in eam ingenio humano; dum sæpè amore quietis, torpet. Exercendum itaque est, etiam in otio: ubi occupatio esse solet cognitionis, & doctrinæ. In ea verò cavendum, ne nimiam curam in res minutas, subtiles, non necessarias, vanas denique impendamus.

Literas tractat serias.

damus. Talibus enim abduci, contra officium eſt, & ineptiis iſtis, animum, ad majora natum, detinere; indignum. Philologia igitur, & literæ; quas libe- *Cũ modo.* rales vocant, cum modo habendæ ſunt. Nimia enim horum conſectatio, ut plurimum moleſtos, verboſos, intempeſtivos, ſibi placentes, id eſt imprudentes facit. Immò etiam habendæ certo *Et fine.* fine: & omnis ejuſmodi opera, in rerum utilium ſtudio, & uſu vitæ, collocanda. Quamvis & mira, abditaque naturæ ſcrutari; ne tanta Dei opera ſine teſte ſint; & ut Authoris admiratio juxta, ac veneratio, mentibus noſtris imprimatur; laudabile. Sed in hoc *Magis verò ſtudium Sapientiæ.* vitæ genere præſtantiſſimum, longèque pulcherrimum eſt ſtudium, veræ Sapientiæ; quæ finem hominis quærit, videt: ad illum vera media eligit, adimpletque: latentem veritatem eruit, opinionem & opinationem omnem tollit; & denique animum purum, ac inſontem Deo dedit, conſecratque: Et præterea, ut alii idem faciant; ſæpè ſalutaribus ſcriptis monet. Hoc eſt profectò eximium in otio negotium: hoc eſt conſummatiſſimæ actionis officium.

Hoc est denique quod Dominus porrò unum dixit esse necessarium. Quod homo, prima sui origine, purus nempe & innocens, solum unicumque curasset: quod nunc, dum gratia fruitur, solum implere studet: & quod olim in gloria plenè, & continuò exercebit; atque hoc unum perpetuò aget. Id verò dum hic vivimus, ut exactè fiat; & ne mens illusa vagetur; alliganda Deo est: & insistendum pressè illis, per quæ se Deus nobis aperuit. Sed hoc in libro tertio, qui de pietate, id est vera ac unica Sapientia, uberiùs dicetur.

A Deo illustratæ.

Alterum vitæ genus Actuosum.

Sequitur genus vitæ alterum: nempe Actuosum, quod propriè negotio, opera, labore constat: & quod adminiculo corporis, & rerum externarum impletur. Hoc eo præstantius est, quo magis ab animo ortum sumit; & ad illum refertur: eò verò vilius, quò corpus magis, & externa spectat. Inter actiones, quæ multum trahunt ab animo, eminent illæ, quæ Reipub. & Civitati, bono Communitatis, Societatisque impenduntur, sive pace, sive bello. Tales splendidæ profectò, magnanimæ, & quæ dotibus ingenii, judiciique velut ani-

Laudabiliter Reipubl. impenditur.

animantùr: ostenduntque, non nobis nos tantùm natos esse; ortusque nostri patriam, & quæ hoc vinculo continentur, participes esse debere. Proficuæ verò etiam, maximè Societati humanæ, si præsertim exactè, ambitione & avaritia procul, impleantur: Bonumque iis, & salus patriæ, suprema lex sit. Illæ autem Actiones, quæ necessitatibus vitæ præsentis consulunt, iisque parandis, acquirendisque impenduntur; aut ad Agriculturam, aut ad Mercaturam, aut ad Opificia referri solent. Agricultura in duarum, quæ sequuntur, optima: uberrima quippe, ingenua, innocens; & qua non alia est magis libera, & vitio carens; ritusque meliùs vitæ priscorum colat. Mercatura, si copiosa, & ampla; non illaudata. Nam commercio gentes sociat; & subvenit communibus commodis: efficitque, ut quod uspiam est, apud nos natum esse videatur. Si tenuis, & propolarum; indigna honesto viro: nihil enim proficit, (ut inquit Cicero loco hoc, quem totum ex illo haurio) nisi admodum mentiatur. Opificia denique, si multum habeant ingenii, & utilitatis in publicum;

Vitæ necessitatibus servit.

In Agricultura: quæ ingenua.

Mercatura: non semper vilis.

Opificiũ haud indignum.

Si ingenuum. non indigna. In vili autem & abjecta re, occupata: uti & operæ, quibus exigua merces est auctoramentum servitutis; aliique illiberales questus, nihil profectò possunt habere ingenui.

Tertium vitæ genus ex utroque mixtum. Tertium vitæ genus, è duobus primis compositum, perfectissimum existimo: naturæque nostræ maximè conveniens. Ad utrumque enim nati sumus: Cognitioni rerum, & Actioni. Unde conjungendo utrumque; sequetur status, erga se, homines, Deumque, eximii prorsus meriti. *Laudatissimū.* Exercitium enim virtutum, Charitatis, Pietatisque officia; tum demum optimè exequemur; cùm Animum vera Cognitione imbutum, ad Actionem, & negotia conferemus, & pulcherrimo temperamento, vitam ita partiemur; ut eam nobis, aliisque, & denique Deo impendamus.

Monita quædam adduntur. His verò ita positis, constitutisque, addenda adhuc sunt quædam monita: cuique (ex jam dictis) conditioni vitæ, admodum necessaria; & unicè servanda.

Noscendum suū cuique ingeniū. Atque imprimis, in quocumque genere Actionis, expendere diligenter oportet naturam, ingeniumque proprium:

prium: & videre; quid quisque habeat sui: nec experiri temerè, sine erroris certè evidenti periculo? quàm se deceant aliena. Id enim profectò maximè quemque decet; quod est cuique suum maximè. Ideoque non tam præstantiora, quàm viribus nostris potiùs convenientia, sectanda sunt. Et cavendum, ne Scenici plus, quàm nos, habere videantur prudentiæ: Illi enim, non illustriores, primasque, sed sibi accommodatissimas personas assumunt. Pudendum verò esset, ut; quod Hystrio videat in scena, id prudens ignoret in vita. Peccatur autem neglectu hujus moniti sæpissime. Alii enim par negotiis ingenium, diffidentia sui, & experimenti detrectatione, otio sepeliunt. Alii sese per ambitum immiscent negotio, cui undique impares sunt. Alii parum idoneam verecundiam rebus adferunt civilibus. Aliorum contumacia non facit ad aulam. Ita; dum quisque horum consectatur, quæ ei non conveniunt; in multa sibi adversa incidat, necesse est.

Aliena non sectanda.

Exemplo personæ in scena.

Quod si aliquando necessitas ad ea nos detruserit, quæ nostri non sunt ingenii; tum adhibenda erit exacta dili-

In negotio quod necessitas imposuit

gentia: ut talium peritos inquiramus, agnoscamus, eorum consilio utamur, & monitis cum judicio obtemperemus: Alioqui erroribus innumeris se induere necesse erit. Nam in negotio, qui nec sibi consulere, nec benè monenti parere scit; ille profectò extremi censendus est ingenii.

Utendum peritorũ consilio.

Addendum verò etiam, ut in constituto semel vitæ genere, constanter maneamus; & quam nobis sortem, seu ratio dederit, seu sors objecerit; illa contenti vivamus. Nec imitemur eorum levitatem, qui assidua mutatione propositi, præsentia fastidiunt; inexperta appetunt, laudant jam relicta. Qui votis, & omni vita pendent semper: quorum animus natura inquietus, parum in se solatiorum habens, se sibi relictum ægrè fert; tediumque sortis suæ, & tristem vix sustinet patientiam. Huic verò contrarium: tranquillum nempe, placidum, semper æqualem, se contentum statum animi, quem Græci εὐθυμίαν vocant, retinere, ac tueri pulcherrimum, optimumque.

Servãda propositi constãtia.

Et animi tranquillitas.

Animi tranquillitatem.

Ultimum monitum est, in ordine, decoro, & Convenientia Actionis: quod Græ-

Et in Actione omni decorum.

Græcis τὸ πρέπον, dicitur. Nempe in moribus, ſermone, vultu, habitu, inceſſu, geſtu omni corporis, decens ac venuſtum neſcio quid: deinde lentum, grave, ſedatum, & denique ſine affectatione omni, & nimia cura concinnum & compoſitum. Præceptis hoc vix includi poteſt: Tempore etenim, perſonæ, loco ita ſervit; ut laudis & vituperii exinde cauſam ſumat. Et quod non opportunum, intempeſtivum, nec conveniens, id etſi alioqui bonum, indecorum tamen, & ineptum. Uſu ergo iſta diſcantur, exemplo, obſervatione. Hactenus Prudentia, prout in ſe, explicata; nunc eandem in tripartita Diviſione virtutis videamus.

Decorū. *Quod nō præceptis. Sed uſu diſcitur.*

De Temperantia.

QUia corpore & animo conſtat homo; hujuſque imperio, illius ſervitio utimur: ideò oritur prima virtutis pars, quæ σωφροσύνη Græcè vocata, & ὡς σώζουσα τὴν φρόνησιν ab Ariſtotele explicata, Latinè Temperantia vocatur: definiturque prudens uſus eorum, quæ debentur carni; id eſt, naturæ ejus exigentiam temperans, & id

Etimon Græcum Temperantiæ. Velut ſervans prudentiam. *Ejus definitio.*

Exigentia corporis triplex. id quod delectabile censetur, non quærens in corpore. Cujus exigentia partim est naturalis, & omninò necessaria; ut alimentum, & tegumentum: Partim naturalis, sed non omninò necessaria; ut conjugium: Partim nec omninò naturalis, & penitus non necessaria: ut illecebræ ad sensus corporis oblectandos. Primam, ajo, Sapientem, id est, virum bonum, admittere necessariò; alteram voluntariè; tertia abstinere. In omnibus verò, quidquid corpori detrahet, animo conferet. Docebit hoc Frugalitas, Castitas, Abstinentia, seu quam, Græco verbo ἐγκράτειαν meliùs forsan voco.

Ejusque ratio.

Temperantiam.

Frugalitas in cibo & potu.

Frugalitas est in esu & potu modus, sustentationi corporis sufficiens: qui Gulæ opponitur. Modus, inquam, in quantitate cibi potusque, qui alat vires, reparetque. In qualitate; qui salubri usu, & facilitate parabili, non verò sumptu tantùm, damnoque commendetur. In lenta sumptione, quæ avidam voracitatem cohibeat: In regula denique, quam institutum præscripsit, dum stata tempora jejunii assignavit. Cæterum, cùm aliæ virtutes animo

Modus ejus exprimitur.

mo tantùm prosint; hæc etiam robur, sanitatemque corpori confert. Confert deinde menti; quæ ingluvie obtunditur, & hebescit. Sed præcipuè amplectenda, quia grata & accepta Deo: cujus regnum non est potus, & esca. Sobriè ergo vivito, & frugi; & stude in hac virtute proficere; quia quotidiani est exercitii; quia est velut tyrocinium vitæ melioris; denique quia in re minimè ardua: quam nisi vincis; qui majora superare speres.

Qui & animo & corpori prodest.

Ideoque unicè servandus.

Castitas contraria Libidini sequitur. Hæc si per continentiam nequit retineri; Natura, & lege divina, velut regulam habebit Matrimonium. Meliùs enim est nubere, quam uri. Et vaga libido, non modò Dei præcepto vetatur; sed etiam ratione, & jure naturæ, conjugio illigatur, & adstringitur. Cùm enim facultatis gignendi & generandi, finis sit generis propagatio; obtineri is aliter non potest, nisi, quod genitum est, educetur. Educatio verò prolis, præsertim humanæ, adeo alienæ opis egentis, commoda esse non potest, nisi mutua opera, parentis utriusque. Cùm & inter bruta etiam, præcipuè

Si nequit Castitas continens esse, Matrimoniũ ineundũ.

Quod est à natura.

Idque causa educandæ prolis. quorum operosior educatio, ut volucrum, tam mas, quàm fæmina, fætum curent. Si autem taliter educanda est proles; ineunda est Conjugalis Societas: quam, uti dixi, naturalis ratio dictat, exigitque. *Strictiùs lege Divina constitutum.* Eam verò lex Divina, & præcipuè Evangelii, certo instituto circumscripsit, & strictiori præcepto devinxit. Dum, & unam tantùm uxorem uni Viro concessit; & ab ea separari, nisi morte vetuit. Nam divortia, *Perfectior illo cælibatus.* justam ob causam facta, non tam dissolvunt Conjugale fædus, quàm nullum contractum fuisse ostendunt. Etsi verò necessarium, & magnum est in Christo, & Ecclesia hoc Sacramentum; attamen Virginitas illo major, altior, magisque Deo chara; quippe quæ à Carne remota, illam velut abdicat; & ideò facilè in Spiritualem Naturam assurgit: Per quam homo purus undique Deum, qui puritas est, faciliùs intra se habebit hospitantem.

Vitanda obscænitas in verbis. Utrobique autem, tam in conjugio, quàm cœlibatu, castitas primùm in verbis servanda: in quibus nullam inesse turpitudinem, falsò Stoici docuere. Dicebant enim: Si esset obscænitas;

tas; eam aut in re fore, aut in verbo. In re non esse; quia effertur alio, etsi tecto nomine: Si autem turpis esset; ne alieno quidem, si non suo potiùs, quod itidem turpe esse non potest, cùm denotat rem, quæ est ostensa non turpis. Atqui non sic periit pudor, ut hoc nobis imponant. Nam etsi in rebus naturalibus non est ea turpitudo, quæ sui usum prohibeat; est tamen quæ apertum fugiat, & occultari requirat. Unde faciem aperimus; sed velamus illa, quæ ipsa natura, quantum commodè potuit, abdidit. Si verò hæc tegere honestas jubet; cur verbis, dum necessariò nominanda sunt, non tegantur? Abeat igitur hæc obscænitatis patrona Sophistice: nobis verecundia sit, quam Christiana conversatio requirit; obscænitas ne nominetur quidem: honestè, velut in die, ambulemus; & loquamur, ut decet Sanctos.

Rejecti Stoici, qui aliter docuere.

Altera pars Castitatis, in cogitatione: quam item puram, & nullo phantasmate fædatam, casta & sancta lex Christi requirit: Ut nempe nec admittas immunda, nec te illa meditando oblectes, & multò minus concupiscas.

Vitanda itidem in cogitatione.

Præ-

Præstabis verò facilè, si visum moderare: ab hoc enim potissimùm immundæ cogitationis origo. Dic igitur cum Joba: Pepigi pactum cum oculis meis: nempe ne videant (ut Psaltes inquit) vanitatem; & dictum utrumque imple.

Et demũ in Opere. Tertia pars Castitatis, in factis: non tantùm ut Fornicationes, Stupra, Adulteria evites, & detestere; quæ, nemo est, qui turpia non agnoscat: sed ut devites etiam, quæ illicia sunt eorum; nempe muliebrem familiaritatem, officia, lenocinia, lascivos procacesque mores, quibus fovetur impurus hic Amor. Quem ut vincas; defugias: nam in aliis vitiis victoriæ causa, pugna est; in hoc, tantùm fuga.

In corporis cultu modus. Abstinentiam, mollitiei adversam, voco modum severiorem in cultu, comptu, & situ corporis. Cultus est in veste; quæ sit necessaria, sine nimio sumptu; Commoda, sine inutili copia; *Item in comptu* Decora, sine futili, & vana vanitate. Comptus in munditie; quæ ut illuviem sordidam, squalloremque vitat; ita crebra nimis balnea, unguenta, calamistra non requirit. Situs est, aut in *In situ denique.* exercitio, aut in quiete. Illud advoco,

& re-

& requiro; ut vegetum, agile, patiensque laboris corpus reddat: Hanc admitto, tolero, ut ut vires reficiat. Non verò somnolentia, cubatione, gestationeque molli enervet: duoque vitet contraria; nempe, ne quid effæminatum aut molle, & ne quid durum, agreste, aut rusticum sit. Denique & universim, quidquid affluentia nimis est exquisitum, delicatum, & Sybariticum; quidquid affectato fastidio nimis tenerum; id totum ἐγκράτεια aut moderatur, aut abstinere jubet. Ut verè sit Temperantia, ex Stoica definitione, ἕξις ἀττήτις ἡδονῶν. Et ipsa potiùs vincat omnem corporis voluptatem; animumque ejus fallacibus, & falsis oblectamentis liberum, & vacuum, solidorum, & olim immutabilium capacem reddat. Utrumque autem obtineri non potest; & qui hæc consectatur, illa amittet.

Ubique nihil nimis molle.

Temperantia.

Habitus invincibilis à voluptate.

De Justitia.

PEractis, transactisque iis, quæ ad corporis, ut ita dicam, moralem οἰκονομίαν spectant, cùm in hac vita rerum externarum egentes natura simus, præscribit, precipitque Justitia: quomodo

Justitiæ definitio.

modo in illarum usu versari nos oporteat. Est enim illa ex prudentiæ dictamine desumptus habitus; rebus, quæ extra nos, rectè utendi: ut nempe id, quod sub notione utilis venit, justa administremus ratione. Id autem fit; dum nec nobis vindicamus, nec alteri tribuimus plùs, aut minùs, quàm tenemur. Porrò bifariam considerari Justitia potest. Nempe: vel ut sit aptitudo tantùm, ac potentia animi, firmiter apud se constituentis, legitimum usum proprii; ac alieni debitam cuique atributionem: vel ut sit actus ipse, hoc idem exercens. Prima notione pertinet ad hunc tractatum Probitatis; qua se animus præparat, ac munit, ad præstandum, quidquid jus & æquum requiret: implendumque id totum; unde viri boni nominantur. Altera ad Charitatem; ubi, quid sit jus, suum cuique tribuens, accuratè expendetur. Itaque hic priorem partem tractabimus. Constitutum mihi enim, quidque suo loco, sine tautologia ponere: contra quàm faciunt illi, qui hic ad mentionem Justitiæ, totam Jurisprudentiam infarciunt.

Quæ partim est potentia.

Partim actu.

Huc prima spectat.

Altera ad Charitatem.

Justitiæ autem istius, ut ita dicam, inte-

interioris, fons & origo est, regimen severum, adstrictumque ejus affectus, quo in id, quod nobis prodesse videtur, nimis ferimur. Etsi enim ille, à natura ad conservationem sui, inditus cuique animanti; tamen ubi ratio homini accessit, docet illum & admonet: ne sua commoda plùs æquo diligat, aut quærat: quin immò sæpè impendat societatis, & ex illa orti officii causa. Occupetur ergo primùm animus in expugnando hoc affectu, qui hostis unicus Justitiæ; omnia sibi rapiens, & nulli reddere, quod suum est, permittens: statuatque non modò nihil sibi arrogare; sed etiam propriis, licitisque commodis, societatis & officii causa, detrahere. Quin immò, ut id exactiùs impleat; meminerit: quàm altum, & eximium, quàm liberum, & liberale, quàm denique ratione dignum sit; cuncta quæ infra animum, ex animo sprevisse. Affectu autem tali victo, concidet Avaritia, & orietur hoc fonte rectus usus rerum, animo illis non irretito: quin immò adeo firmo in verà eorum, id est parva æstimatione; ut paratus sit jacturam potiùs omnium pati,

Utilitas propria non nimis sectanda.

Quippe hostis Justitiæ.

Expugnanda ergo.

Et Officio impendenda.

Virtutis hic habitus oppositus fruitioni avaræ. Rarus & difficilis.

pati, quàm vel latum unguem, ab eo, quod Justitia exigit, declinare. Hic virtutis habitus, (qui uno nomine non effertur,) oppositus est vitio fruitionis. Rarus verò & arduus: ut sunt Mortalium mentes, captæ concupiscentia opulentiæ; quam fulgor & commoditas ejus provocat. Adeo quidem, ut Divino etiam eloquio, magnum & mirabile fecisse dicatur, qui eam abjecerit. Attamen abjicienda est, idque iis rationibus quas attuli, inter remedia vitii huic virtuti oppositi.

Habendus tamen.

Liberalitas, altera pars interioris Justitiæ.

Altera ex eodem fonte virtus fluit, Liberalitas; contraria parcitati: interiori verò Justitiæ propria, & insita: Quid enim justius, quam subvenire, largiri, prodesse; id est, quod tibi velis fieri, facere alteri? Id verò præstabis, primùm si adsit (ut ita loquar) Libentia: quæ quidquid dat, libenter dat, bono animo, studio, judicio, ratione. Si verò dare nequit; vellet tamen, cuperetque. Ita constabit beneficentia, & benevolentia vera. Deinde, si adsit Gratia: quæ non fæneretur beneficium, non captet, non requirat vicem: largiatur gratis; non mutuum, sed donum.

Sit libens.

Gratuita.

Postre-

Postremò si adsit Bonitas, quæ adeo sit diffusiva sui, ut benefaciat etiam illis, qui odere: & quam potest, æmuletur Deum; qui beneficiis afficit ignaros, & ingratos; non petentes, abnuentes, immerentes: sed (quod sufficit ejus bonitati) miseros, & egentes.

Benigna.

Etiam non amicis.

Modò miseris.

Sed Liberalitate, etsi nihil naturæ humanæ accommodatius; attamen ut justa sit, recta, & laudabilis; oportet, ut cautiones quasdam habeat, quas suggeret tertia interioris Justitiæ pars, prodigalitati adversa; quam angusto forsan, sed cùm aliud proprium non suppetat, necessariò vocabulo, nuncupabo Parsimoniam. Definitur: prudens rerum dispensatio: seu mensura, ac regula, nec plus, nec minus, quàm opus sit, in alios erogandi. Per hanc sufficit modicum justo: hæc tantas vires habet, ut multis impendiis, multis erogationibus sola sufficiat. Alii nempe dividunt (inquit Sapiens) propria, & ditiores fiunt: alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Justus autem dispensator, assignans tribuensque quantum meretur quisque; dum sua non prodiget, non rapiet aliena,

Parsimonia pars tertia interioris Justitiæ.

Definitio ejus.

Et eximius usus.

vitabitque ea, quæ luxus, & hinc ſata egeſtas, ſuadere ſolet: fraudem nempe, & injuriam. Deinde benefaciet, non ambitus cauſa profusè largiendo; ſed benignè, merita aut penſando, aut provocando. Duo itaque præſtat Parſimonia: primùm docet nos modicos eſſe in omni impendio; nempe in victu; veſte; ſupellectili, familia, largitione: idque, ne oporteat inique ſarcire damna inconſultæ profuſionis. Deinde jubet, ut pro cujuſque dignitate & meritis, tribuamus. Nam ſi hic delectus non ſervaretur, nulla ratione æquitas poſſet ſervari. Habes Juſtitiæ, ut dixi, interioris, & ad Probitatem propriè pertinentis, lineamenta vera. In quibus velut in ſemine, aut radice, incluſa vis ejus: à qua pullulabunt facilè præcepta, & officia Charitatis; de quibus libro agam ſubſequenti.

Docet modicos eſſe in ſumptu.

Et in tribuendo equos.

De Fortitudine.

JAm verò, cùm & ea, quæ corpus regit; & ea, quæ externa diſpenſat Virtus; explicata, oſtenſaque ſit: Supereſt, quæ animum firmat, ac perficit: eaque eſt Fortitudo. Definio illam:

Definitio Fortitudinis.

lam: Prudentiæ habitum, quà animus primùm cuncta, quæ infra se habet; deinde seipsum, postremò victoriam ipsam vincit, domat, ac Deo subdit. Nempe, ut illud olim in Philosophia veteri decantatum αὐταίρετον καλὸν, forti & invicto studio superatis, victisque impedimentis omnibus, obtineat. Victoriæ porrò istius, seu τοῦ κράτεος materiam præbent ea; quæ nobis sunt terribilia, molesta, difficilia. Sed quia in oculos maximè incurrunt ea, quæ terrent; ideo in illis vincendis, vulgò & imperitè, tota fortitudinis ratio ponitur; cùm hæc pars ejus tantùm, eaque non potissima sit, prout patebit.

Per se eligibile, pulchrũ, seu honestum.

Occupatur circa terribilia, molesta, difficilia.

A quà tamen ut ordiar, definio illam: & voco Firmitatem imperterritam animi, contra ea, quæ corpori nocent. Inter ista autem φοβερώτατον ὁ θάνατος inquit Aristoteles. Mortem ergo, cùm officium requirit, & non timere, & subire; prima, sed non omnis fortitudo erit: Magna tamen, quoties non omninò impetu fit; sed causà, & consilio. Tum enim plenam Victoriam exercet animus in corpus; dum vitam ejus, velut vestem, quando opus est

Firmitas animi.

Mors maximè terribilis.

Contra Mortem.

Sui occisor, & sibi manus inferens.

exuit, & ponit. Non ut αὐτοφόνος; & αὐτόχειρος sit, (Apage Porticensium insanam Sapientiam, quæ falsa specie roboris, infirma & timida, mortem potiùs sibi consciscit, quàm duri quidpiam, & molesti sustineat: quæ arbitrium Vitæ à Deo acceptæ, Deo eripit; & sibi per arrogantiam pravam vindicat: acta aut ferocià, aut glorià inani.) Non, inquam, ut se perimat: sed ne morte deterreri ab officio patiatur; sitque paratus pro illo, ut Christus & docuit, & fecit, ponere animam. Qua majorem dilectionem officii, nemo habet. Id autem præstat, partim cum eligit mori priùs, quàm honestum deserere; Pejusque letho flagitium timet: & non timet, quæ occidunt corpus; sed quæ occidunt animam; Ubi est mens gnara sui finis; ideoque recti tenax propositi. Partim, dum usque ad periculum mortis propugnat, quod tenetur: putatque dulce & decorum, pro officio mori; Ubi est, amore τοῦ καλοῦ, strenuæ & excitatæ indolis pulcherrimus vigor. Partim denique, cùm Dei gloriæ, & testimonio vitam immolat: Ubi est fortis supra mortem dilectio;

Non ut illam cōsciscas.

Sed cum opus est, subeat.

Nempe vitandi flagitii.

Officii implendi.

Honesti.

Dei testandi causa.

ctio; Prout fuit in illis, qui torti, secti, usti, cæsi sunt, tormentis & morte strenuè obità; sed non sibimet illatà. Hic est primus Fortitudinis gradus, in quo est Victoria terribilium: idque à mente tranquilla, & ex proposito, justam ob causam agente. Ei opposita pars illa superbiæ, quam ferociam dixi: quæ præceps, inconsulta, impetu agens; acta nempe, ut ita dicam, Gygantea quadam superbià, ex corporis robore orta.

Sequitur alter Fortitudinis gradus, quem in re & materie molesta posui: & in lucta animi cum fastu, orto à rebus externis: Ut nempe eas superet, id est, infra se deprimat; seu, (ut Cicero id ipsum adscribens Fortitudini inquit;) ut ea, quæ eximia plerisque, & præclara videntur, ratione stabili firmàque contemnat. Vocari, & definiri hic gradus potest: Constantia animi, in eodem statu permanentis; externis nec depressi, nec elati. Sed quia mens humana, quasi natura extollitur, (igneum enim quidpiam & æthereum est) contra naturam verò deprimitur; Ideo plus molestiæ sentit in elatione conti-

Pars altera Fortitudinis in re molesta.

Quæ est Constantiæ.

Detrectans deprimi.

 nenda,

nenda, quàm in depressione detrectanda. Itaque potior Fortitudinis vis erit in primo: Tum enim verè animus secum pugnat, certatque. Unde verò hoc monstrum, animus nempe secum pugnans? (quærit, & respondet sibi Augustinus.) Unde, inquit, quòd imperat animus corpori, & paretur statim: imperat sibi, & resistitur. Imperat animus, ut moveatur manus; movetur; & vix à servitio distat imperium: Imperat animus, ut velit animus, nec facit tamen. Causa est, quòd non ex toto vult, ideoque non ex toto imperat. Vincendus itaque animo animus est; ut sibi parere possit: Majorque erit hic gradus, quàm in terribilium victoria. Nam vita, ut ita dicam, corporea, cùm infra animum sit, faciliùs ab eo superatur; certamen verò animi secum, tantò molestius est; quantò operosiùs par, quàm inferior vincitur: Nemo autem magis par, quàm quisque sibi: Se ergo vincere, admodum arduum, operosumque erit. Porrò tum demum verè se oppugnat, seque vincere studet mens humana; cùm fastum, & inanem gloriam, qua maximè oblectatur, sibi eripit;

Et (quod operosius) extolli.

Tū enim animus secū pugnat.

Molesto certamine.

eripit; seque illa privat. Tum inquam primùm, velut partes fiunt: & quod unum idemque videbatur, dividitur: nempe purum illud ac simplex rationis, quod Christiana Philosophia Spiritum vocat, ab illa parte, quæ parens cupidinum est. Inter cupidines autem, cùm præcellat maximè fama & gloria; præsertim ea, quæ ut vera tribuitur, & ob meritum videtur obtigisse; Ideo talis gloriæ abdicatio gravis, & maximè molesta sit, necesse est. Diuturnum enim certamen, & continuò rediens fit lucta; donec omnis dulcedo ejus, & gustus, penitus mactetur. Mactari autem debet: Nam impedit, repellit, & arcet verum hominis bonum. Non enim conveniunt, nec in una sede morantur, complacentia vanæ gloriæ, & serius veri boni amor. Ergo contra fastum felicitatis hujus vitæ, animus firmandus est; ne inanis famæ applausu, ventosus fiat. Ut laudem, inquam, fugiat; quippe semper falsam; id est immeritam, levem, brevemque, & verum mentis deceptæ ludibrium. Deinde, arrogantiam judicii, ex facultatibus animi, devitet: idque sancta illa, vera, & de-

Ut cupidines superet.

Inter quas eminet vana gloria.

Quę vincenda.

& debita ſimplicitate, cum qua quæri ſe jubet Deus. Hæc eſt fortitudo, in rebus moleſtis ſuperandis; quam etſi fatentur paſſim, eximiam eſſe; dum magis expeditum putant, hoſtem, quàm cupiditatem vincere; & quæ premunt ſuſtinere, quàm quæ attollunt deprimere: Nullam tamen, quod miror, ejus mentionem faciunt; cùm de virtute hac agunt.

Mirum hæc à nullo tractata.

Summus fortitudinis gradus humilitas.

Tertius, ſumuſque Fortitudinis gradus eſt: Spiritum, ita, ut, dixi, corporis, & Cupidinis dominum, ac victorem, iterum vincere, domare, Deoque ſubjicere. Hanc partem voco Humilitatem; Quatenus, inquam, reſpicit Deum: nam qua ſe, robur ac firmitas ſumma eſt. Definiri poteſt. Statùs, & conditionis humanæ, fortiter agnita, retentaque veritas: quæ hominem in ſuo, quod ex ſe eſt, nihilo, firmiter collocat; & nulla re externa ab illo permittit dimoveri. Sublimis revera, arduuſque gradus. Quia etenim animus, ubi ſuperavit partem ſui, quæ cupidinum parens eſt; facilè adeò præclari operis fructu capitur; ſe miratur, ſe oblectat: ideo hoc ipſo victoriam, quam

Quæ definitur.

quam paraverat, incautus amittit. Vincitur enim iterum Complacentia: quæ bono principio orta, facilè imponit; & difficillimè deprehenditur: quippe mira celeritate sese insinuans. Difficiliùs verò superatur; quia velut spoliare se fructu veri boni oportet: & vim sibi inferre, ne illo fruamur. Immò velut se perimere; ac mactare: idque parte sui potiore; nempe quodammodo animo mori. Sciunt experti quid dicam; & fatebuntur id fieri per humilitatem: quæ est virtus opposita parti illi superbiæ, quæ ab elatione animi, se bono suo oblectantis, oritur. Hæc, prout dixi, coram Deo, in cognitione sui nihili, sui minuti, sui corrupti, fortiter firmiterque hominem constituit: & adeò ab hac consideratione, seu agnitione sui divelli, aut attolli ulla re non permittit; ut etiam id; quodammodo prohibeat vero bono. Quando enim illud influit sua spontè: quoniam delectatio, quam secum adfert, externum jam quidpiam, & productum est; Ideò, ne illi acquiescere velit, id est, ne effectui potiùs inhiet, quàm causæ innitatur; seque compotem boni exi-

Est, ut vincat ipsâ Spiritus victoriam.

Idque mira quadam ratione.

Quæ exactè explicatur.

 sti-

ſtimans, evaneſcat: ideo inquam, in tantum ſibi non appropriat id, quod ſuave & dulce influit; ut ſatagat etiam totum & integrum, nullo delibatum proprio guſtu, & fruitione, reddere & refundere datori. Et cùm hoc fecerit; ſe non plenè feciſſe, inutilemque ideo, & vilem eſſe, ſemper & verè agnoſcit; fateturque; quippe cum talis ſit revera. Habes Fortitudinis plenam victoriam: Partam primùm, ſi opus eſt, morte naturali: Deinde, quod ſemper opus, morte cupiditatum: Poſtremò, quod ſummum opus, morte ipſiusmet animi: dum commorimur Deo; & ſupremam victoriam victoriæ obtinemus; nulla ejus dulcedine capti, ne iterum vincamur. Quod poſtremum uberiùs explicabo, cùm περί τῆος Θεώσεος agam; Nunc verò partem tertiam capitis hujus abſolvam.

In triplici morte.

De (ut ita dicam) deificatione.

Pars

Pars Capitis Tertia.

Declaratur unde, & quo principio paretur, & insit homini Virtus.

QUæsitum id acriter olim, & nunc: neque dum sopita ex integro controversia. Ad eam namque pertinet, referturque magnum illud dissidium, non scolis tantum, sed Ecclesiæ etiam diu grave, de Gratiæ divinæ necessariis auxiliis, & arbitrii humani libertate. Operæ pretium itaque erit, paucis hæc explicare: paucis inquam; nam haud aliam causam dederim hujus contentionis magis propriam, quàm multiloquium; dum diffusis disceptationibus sibi mutuò præbent cavillandi ansam; quam pauca, & librata verba tollunt. Est verò omninò necessarium, ad hanc quam suscepi diatriben, locum hunc non præterire. Fundamentum enim virtutis, & τῆς ὑπάρξίας unicum est: scire, unde illi petendum sit principium; ne ignorantia veræ ejus causæ, tribuamus nobis, quod Dei est: & ut eum authorem

Contentio hac de re Scholæ, & Ecclesiæ gravis.

Necessariò hic tractanda.

gratiæ;

gratiæ; gratiam verò potissimam causam meriti, & præmii, id est gloriæ, agnoscamus. Alioqui si propriis viribus niti tantùm velimus; & iis putemus nos posse summum bonum consequi: tota vita laborantes, nihil capiemus. Meritò itaque huic loco insistam. Et primò, opiniones hac de re erroneas adferam; deinde veram sententiam) præmissisquibusdam,) demonstrabo. Tertiò, quæ contra illam dici solent, refellam.

Idque partitione quæ proponitur.

Virtutem à temperie Corporis esse.

Imprimis ergo, opinio quorundam fuit: Virtutem à Natura esse: & cujusque mores nasci: id est, à temperie, & constitutione corporis, provenire. Causa sententiæ à tam arcta animæ cum corpore connexione; cujus humorum prout est κρασις, magis minusvè videtur in nobis incitare Commotiones: Ex illarum verò modò, virtutes, vitiaque. Sed si animus corpore potior, præstantiorque; quomodo ab illo perficitur? utique, quod ignobilius & inferius est, perficere superius nobiliusque non potest.

Temperamentū.

Falsum. A ratione tantū humana.

Altera ergo sententia sequitur: quæ virtutum petit principium, tantùm à ratio-

ratione humana. Quam rectam, puramque homini inditam, sed à corporis consortio, velut contactu infectam, corrigi & depurari, institutione ac doctrina. Itaque propriis insitæ rationis viribus, sufficere quemque sibi ad virtutem: Sententia hæc dum αὐταρκείαν tribuit homini; impiè Deum relegat. A quò cùm sit nostrum esse, quantò magis bonum esse?

Falsum etiam. Sui sufficientiam.

Tertia ei contraria sententia est, quæ dicit: à Deo, velut sorte, dari virtutem: ita ut eam uni conferat, neget alteri: ut nempe animus passivè se tantùm habeat, sine ulla συνεργεία, & extincta omni libertate; suique arbitrio. Sententia prima fronte videtur ad Deum ire: sed inspecta penitiùs, bonitati ejus contraria. Causa enim peccati esset Deus. Nam quòd aliquis, virtutis omnis expers sit; (quales esse multos scimus;) Deus qui non dedit, in causa esset. Author nempe mali, quia non dator boni. At quomodo ipsummet bonum causa mali? & quomodo posset esse ultor, cujus esset Author?

Fato eam dari, & sorte.

Cooperatione.

Itidem falsum.

Quartam, veramque sententiam antequam adferam; Præmittendum est: Deum,

Deus hominem liberum creavit.

Deum, naturam ratione præditam, liberæ voluntatis ſuique arbitrii creaſſe. Quod teſtimonio Scripturæ apertum; & dogmate Catholico ſanctum, ſancitumque. Decuit nempe ejus liberalem & munificam bonitatem, cujus eſt, ſe quàm maximè communicare: decuit inquam, impertiri ei, quem ad imaginem ſui fecit, eximium hoc, & Divinitati ſuæ proximum, propriumque. Nihil detraxit ejus Omnipotentiæ: quæ ultrò conceſſa non minuitur poteſtate, præſertim ſupremo jure (ut ita dicam) dominii adeo integro; ut in ipſo vivamus, moveamur, & ſimus. Denique Sapientiam reddit maximè illuſtrem: dum mira ratione cuncta ad ſuam gloriam gubernat, dirigitque; ſalva parentium libertate. Eſt ergo liberi arbitrii homo.

Decuit hoc ejus bonitatē.

Omnipotentia nihil detraxit.

Sapientiam illuſtrem reddidit.

Porrò ut hujuſce libertatis ſtatus rectè pateat; ſciendum eſt: quod voluntatis actio, ex vi & proprietate ſibi indita, aut eſt per naturam neceſſaria, aut per electionem libera, aut per vim coacta. In primo actu retinet vim ſuam: vult quippe, in quod innato appetitu fertur; nempe in bonum, ſeu finem,

Voluntas noſtra aut eſt per naturam neceſſaria.

nem: quem etsi necessariò appetit, non tamen invita; & τὸ ἑκούσιον integrum illi manet. In altero non modo retinet, sed eandem liberè exercet: dum nempe aut rejicit, aut admittit aliquid, prout sua προαιρέσει movetur: scilicet liberè eligit media, quæ seu verè, seu falsò putat convenientia ad finem: ubi τὸ αὐτεξούσιον suum habet. In tertiò verò actu, vim suam prorsus amitteret, aut potiùs ipsamet quod erat, esse desineret: quippe non est voluntas, dum non vult: nec vult, si cogitur.

Spontaneum. *Aut per electionē libera.* Electione. Liberum arbitriū. *Aut per vim coacta.*

Hæc est voluntatis humanæ vera innataque vis, atque constitutio. Quam dum ante peccatum; originali justitia integram incorruptamque habuit; Primum inclinatione naturali, qua in bonum necessariò fertur, sibi proprium convenienſque appetebat. Deinde electione libera acceptare, aut rejicere poterat, quod vellet; & sine ullo animi liberi impedimento ἀδιαφορίαν plenam obtinebat: (quanquam tamen ob innocentiæ statum, quodammodo Naturalem potiùs, inditamque à Deo, quam προαιρετικὴν ἀρετὴν, haberet; ideoque faciliùs bonum, quàm malum acce-

Ejus status ante peccatum describitur. Indifferentiam. Ab electione virtutem.

acceptaret.) Denique non modo ullam non sensit coactionem, (quæ nec ulla propriè dicta dari potest, nec esse nisi ad malum:) sed neque talem, quæ illi gravis & molesta esset, tractionem.

Ostenditurque quomodo post peccatum, mutavit.

Post peccatum verò primi Parentis: Primum, mutavit illa Naturalis & necessaria ad bonum inclinatio; cùm nempè malum specie boni, per concupiscentiam appetere cæpit. Deinde, in libertate eligendi, equilibrium illud voluntatis variavit; lancem ejus deprimente peccati originalis pondere: ita ut bona media, quodammodo invitè voluntas eligeret: facillimè autem, & sua sponte, mala. Denique vis quædam, & mancipatio captivantis nos peccati, subsecuta; quæ voluntatem afflixit, & servam quodammodo fecit: A quo enim quis devictus est; hujus & servus est. Ita, omni parte, innata voluntatis energia, vulnerata, debilitata, vitiata, (prout hisce verbis, id exprimere solet, Augustinus:) non tamen interfecta, aut sublata est. Corrumpi enim, infici, & depravari, natura in homine per peccatum potuit: penitus tolli, & eripi non potuit. Mansit ergo

Ita ut periisset ferre.

vis

vis & proprietas ejus: ſed ſaucia, mutila; & ad malum tantùm prona.

Atque ita perierat homo, dum malus tantùm eſſe poterat. Sed ſubvenit miſero benignitas Salvatoris noſtri Dei: qui manifeſtus in carne, dum naturam, quam ſibi propriam aſſumpſit, reparavit; etiam nobis, ejuſdem reparationis communionem, ſatisfactione præſtita, & ſoluto redemptionis lytro obtinuit. Ita illi tributa juſtitia: nobis data per ipſum miſericordia. Et ut Adamo peccante, ad totum genus humanum, labes pervenit: ita Chriſto promerente, ad omnes gratia pertinuit. Gratia porrò hæc, ſita in Auxilio, Inſtitutione, & Exemplo. Auxilium: partim depulſo malo originalis peccati, per παλυγλενεσιαν baptiſmi; partim collato bono, per internam inſpirationem gratiæ prævenientis; quæ memoriam ſtabilit, illuſtrat intellectum, accendit voluntatem ad bonum; idque ſæpè ſupernaturali illapſu, qui creatas vires animæ excedit. Partim denique, data in bono perſeverantia, per promiſſam, præſtitamque nobiſcum manſionem, & Spiritus Sancti donum.

Niſi gratia Salvatoris ſubveniſſet.

Qua Chriſtus ſalubre auxilium. Regeneratione.

Inſti-

Institutionem necessariam. Institutio: Partim doctrina, & ultimi finis, non in hac vita quærendi, notitia: (quod vetus Philosophia ignoravit, & Judaica religio non expressè asseruit.) Partim ad eum facilè obtinendum consilio; quod brevissimarum sententiarum inaffectata majestate, & arcana veritate aperuit: Partim denique præcepto, & jussu; mysteriis nempe, & Sacramentis veræ fidei patefactis; & sublata (ut vocat Athanasius) θεοπλανίσια, religione autem constituta: quæ antehac aut nulla, apud nescientes Deum; aut falsa, apud malè colentes: aut imperfecta adhuc in Judaismo erat. Exemplum denique dedit nobis: dum, quæ docuit, implevit; & quæ imperavit, facere monstravit: meritoque se sequi; suisque insistere vestigiis jussit: ut quod ille fecit, & nos faciamus. Tot verò, tantisque subsidiis fulta natura humana, non modo ad pristinum statum rediit, sed longè majori, & præsidio, & dote gratiæ, firmata, ornataque est. Primùm, quia major libertas, (inquit Augustinus) necessaria fuit adversus tot tentationes, quæ in paradiso non fuerunt: deinde,

De Deo aberratione.

Exemplum denique nobis dedit.

Ita naturam superavit gratia.

inde, quia dignitas, copiosa redemptio, & misericordia Salvatoris id meruit; voluitque.

Ex his verò omnibus quæ dicta sunt, quadruplex status dignoscitur humanæ potestatis: (posse autem, tantùm est ad bonum, nam ad malum est propriè, non posse,) primò, in innocentiæ statu, potuit homo benè agere; & potuit nõ peccare. Deinde post peccatum, expers innocentiæ, non potuit benè agere; & non potuit non peccare. Tertiò, compos gratiæ, iterum, atque facilius multò, potest benè agere; & potest nõ peccare. Postremò, cum donatus erit gloria, non poterit non benè agere, (si actio vocanda in ipsa fruitione est; ubi patitur magis, quam agit:) & nunquam poterit peccare.

Quadruplex potestatis humanæ variatio.

Cum itaq; in statu tertio nunc simus, id est, in libertate, adjuta gratia; facilis responsio erit, ad quæstionẽ propositam. Nempe; Virtutem, & Actionem bonam, prçcipuè verò, sublimem illam: qualis est credere, sperare, diligere, ut justificationis gratia conferatur; (verba sunt ex Canone Concilii Trident.) non posse esse sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, & auxilio: ita tamen, ut liberum

Nunc in libertate, adjuta gratia nos esse.

Posse tamen gratiæ dissentire.

hominis arbitrium, in, non dissentiendo gratiæ, interveniat. Ut enim non est amissum penitus arbitrium per peccatum; ita nec sublatum per gratiam. Et (ut Prosper dixit) quod non est interfectum per vulnerantem; non tollitur per medentem. Manet hæc libertas, sed ex se ad unam partem magis propensa, nempe ad dissensum gratiæ. Unde, cùm Concilii Tridentini regula decernit, posse voluntatem humanam gratiæ assensum non præbere; satis hoc ipso ostendit, in quo potissimùm gratiæ cooperetur; nempe, in non detrectando. Talis autem cooperatio nihil habet, quo se jactet, & ostentet. Nihil enim aliud præstat per eam voluntas, nisi quòd, non pereundi assensum, velit gratia & auxilio Dei, à se obtineri. Quis autem salutem sibi adscribat, quòd, cum ex se non potuerit non perire, salvari per alium non noluerit? Quis exprobret Datori, quòd donum ejus acceptaverit? præsertim cùm, ut acceptaret, illectus sit, invitante, seque planè ingerente ejus bonitate: Et cùm, nisi eam acceptaret, periret. Certè hinc non usurpabimus gloriam,

Cooperari verò in non dissentiendo.

Hinc tamen nulla jactantia.

gloriam, sed ei referemus; qui ad eam obtinendam, contulit gratuitam gratiam. Quin imò confundemur potiùs; cùm videbimus; ægrè, prava voluntate nostra, acceptata ab eo dona, præmiis affici: & munera ejus oblata, suasa, commendata, denique nostri commodi causa data, in nobis velut merita coronari. Nostrum enim ferme tantùm est, posse illa respuere; id est, posse perire. Et propriè, (ut inquit Augustinus) non est voluntatis nostræ effectio, sed defectio. Nam ut superiùs dixi, posse, seu efficere, est ad bonum tantùm, quod ex nobis nullum. Cùm igitur gratiæ cooperamur; seu assensum non negamus; propriè nihil efficimus soli viribus nostris: sed tantùm, adjuti gratia, non deficimus; cùm si absque illa esset, deficeremus.

Quippe propriè nil efficimus ipsi.

Sed tantùm non deficimus.

Hæc, natura rei, ac ratione ipsa evidente, Authoritate Scripturæ, & interpretatione Patrum, immò doctrina, & approbatione Ecclesiæ, firma; turbavit nuper pruritus disceptandi: & καινοτομία illa, scabie insanabilior, quæ prodidit dogma tale: Nempe, non posse hominem gratiæ dissentire; quod

Hæc frustra conturbant.

Rerum novarum molitio.

Qui prædeterminationem quandam inducũt. verò dissentiat, id à nescioqua prædeterminatione esse, ad unum quid, voluntatem adstringente. Dicunt enim: Deum, absoluta sua voluntate, ante omnem prævisionem voluntatis humanæ, ab æterno statuisse, ac decrevisse omnes actiones humanas, cum circumstantiis omnibus; ita ut aliter fieri non possint.

Nulla justa causa. Causas verò sententiæ afferunt istas: Primam: quia putant aliter non posse constare providentiam, ac gubernationem universi. Alteram; quia necessarium dicunt, ut causa prima prius influat in effectum, quàm secunda. Tertiam; quia nisi prædeterminatio esset; principium justificationis non ex Deo, sed ex nobis esset. Præter hasce rationes, se tutantur Authoritate Augustini, dicuntque eum ejusdem secum esse sententiæ. Quod totum, ut plenè refutem; aperio primùm, quæ exinde sequantur absurda.

Absurda istius opinionis. Primum erit; quòd si hæc sententia obtineret, tolleretur libertas arbitrii: cujus vis est in electione. Electio verò *1. Libertatis interitus.* non est, ubi non datur è pluribus optio. Optio verò tollitur, si ad unum adstricta, & affixa sit, nescioqua prædeter-

determinatione, voluntas. Alterum absurdum; quod benè, secusque meritis, promissio præmii, vel comminatio pœnæ, quibus Deus allicit, vel deterret voluntatem; inutilis, imò ludicra esset; prædeterminatione hac, ad unum, cui non possit resisti, manente. Tertium; quòd quatuor statuum humanæ potestatis, quos modò recensui, permutatio, ac confusio sequeretur; si tertius, in quo nunc sumus, ut possimus bene agere, & possimus non peccare, mutaretur vel in quartùm, gloria dotatum, nempe, non posse peccare; vel in secundum, gratia destitutum, nempe non posse non peccare. Quartum absurdum; quòd induceretur fatalis, & cogens necessitas; eaque non illa, quam vocant, sequelæ; id est, ex suppositione prævisæ voluntatis; sed ex prædeterminatione: atque ita ex mera adactione: Indeque prodiret atrox illa, & terribilis prædestinatio: quæ immutabili decreto, faceret hominem, non ideo damnandum, quia peccaturum; sed quia damnandum, peccaturum. Quintum absurdum; Deum fore authorem peccati, & magis quàm Dæmonem: nam ille suadet tantùm, ac incitat; hic tali,

2. Præmii item, & pœnæ.

3. Conturbatio statuum.

4. Fatalis necessitas.

5. Deum causam fore mali.

quam adſtruunt prædeterminatione, juberet omninò, cogeretque Sextum absurdum; Deum injurium, ac iniquum judicem fore. Quare enim in alio puniret, cujus ipſe Author eſſet? dicerent damnandi: non fuit in noſtra poteſtate, non velle; quod ut vellemus, voluiſti: non fuit, quod vellemus, non facere; quod ut omnibus cum circumſtantiis faceremus, non decreviſti ſolùm; juviſti: juſſiſti; ſed motione quadam, & impulſu, cui reſiſtere non potuimus, omninò adegiſti; ſeu potiùs tu ipſe feciſti: cur nos ergo punis? Hæc, & plura abſurda ſequerentur, quorum quidquid tetigeris, ut ille ait, ulcus eſt.

Et iniquum judicem.

Contra hæc verò omnia ſatis ſe tutos arbitrantur, cùm dicunt, Deum prædeterminare ad opus, ſed non quà malum eſt, & peccatum. Quaſi non ſufficiat ad complicitatem; ut ita dicam; adigere ad opus, cui annexa, & inſeparabilis malitia eſt. Hac profectò ratione omnis peccans vix peccaret: raro enim vult peccatum, quà Deo injurium; ſed quà prodeſſe, ac oblectare videtur. Prædeterminatio ergo iſta, inculpabilis eſſe nequit. Quod verò concurſum Dei natura-

Effugia fruſtra adferũt.

Quæ refelluntur.

tura-

turalem attinet ; hic adeò non prædeterminat voluntatem , ut ei potiùs obsequi videatur.

Sed ut refutem paucis rationes, quas adferunt; Primùm, de Providentia Dei, seu potiùs, facultate gubernandi; sine hac, quam adstruunt prædeterminatione, securos esse jubeo. Constabit illi ratio istius potestatis, & imperii: ita ut, nihil ipso inscio, nihil invito, nihil ad efficiendum, aut prohibendum invalido, fiat. Scit omnes eventus, imò semper præsentes sibi spectat, & noscit; neque huic inspectioni, & notitiæ officit quidquam libertas humani arbitrii. Vult deinde quædam fieri: quædam permittit quandoque, & operari sinit causas secundas, prout earum condidit naturam; nempe liberas liberè agere, sed ipso non invito, alioqui non agerent: Ita neque hic eum impedit libertas humana. Potest denique omnia: etiamsi liberos homines creavit. Velle enim illis liberum dedit; efficere, ac præstare quæ voluerint: sua gubernatione circumscripsit; suaque omnipotentia (salva agentium libertate) omnia ad finem dirigit destinatum. Neque præ-

Uti & eorum argumẽta.

Deum sine prædeterminatione, esse rectorem universi.

determinatione, ideſt coactione voluntatis opus habet; ſuppetunt abundè media implendi, vel impediendi effectus. Quod verò argutantur de influxu cauſæ primæ; Prioritas hæc, ſita in eo eſt, quòd ab illa eſſentia vis, & conſervatio promanet cauſæ ſecundæ. Deinde, quòd cauſa ſecunda, ſine prima nequeat operari: poteſt verò prima, (quamvis ut plurimum non facit;) ſine ſecunda. Tertiò, quòd cauſæ primæ concurſus, eſt etiam generalis: ſecundæ, particularis tantùm. Prior ergo exinde, potiorque erit, cauſa prima. Sed hoc nihil impedit, quo minùs cauſa ſecunda, naturam, quam accepit, retineat: &, ſi neceſſaria eſt, agat neceſſariò; ſi libera, liberè. Quod verò attinet principium Juſtificationis, hoc à Deo eſſe certum eſt: & ſine gratia, auxilioque ejus, nihil prorſus boni hominem poſſe, omninò profitendum. Nempe, Deus vult omnes ſalvari, etſi non omnes ſalventur: quod autem ſalventur quidam, ſalvantis eſt donum; quòd pereunt, pereuntium meritum. Aſſenſus gratiæ potiſſimùm à Deo: diſſenſus eſt à nobis, aut potius nec eſt: cùm peccatum, ſeu hic

Eſſe item primam cauſam.

Et principium juſtificationis.

hic dissensus, propriè nec subsistat, nec sit. Ut enim tenebræ, aut silentium, (scitè hoc Lipsius) non agnoscuntur esse, nisi absentia contrarii; ita & illud. Privatio tantùm est, id est deliquium boni. Hac igitur ratione, ut principium Justificationis gratiæ attribuimus; ita Prædeterminationem, quæ principium damnationis esset, à Deo removemus: A quo solo salus, à nobis solis perditio. Postremum est de Augustino, quem patronum causæ suæ, assertoremque gloriantur. Sed ille, cùm tam Libertatem arbitrii, quàm auxilia gratiæ, contra hæreses tutatus sit; ut concedam dicta quædam, in calore, ut fit, pugnæ, & contentionis, protulisse; quæ separatim lecta, trahi in partem possint: ita nupera multorum diligentia, satis superque ex ejus scriptis demonstratum est; illum prædeterminationem hanc novam nunquam docuisse; nec talem fuisse ejus in hoc argumento sententiam. Ut verò huic quæstioni finem imponam; quoniam patet, sine auxilio gratiaque Dei, nos malum tantùm, id est, nihil, posse: Ideò spem totam boni operis in illo collocare, ab illo opem agen-

Nos verò sine illo perire.

Augustinum non docuisse prædeterminationem.

agendi, ac perficiendi petere; quæ demum rectè egerimus, illi ſoli adſcribere, tribuereque debemus. Fac igitur ò Deus, ut gratia tua in nobis, culpa noſtra, vacua non ſit: & Præcepta hæc Probitatis, quæ te inſpirante dicta ſunt, te Adjutore ad tuam gloriam exactè impleantur.

Voto, & precatione clauſula imponitur.

APPENDICIS VICE.

Monita quædam ad Probitatem retinendam pertinentia.

SEd in libri hac clauſula, addenda quædam monita ſuperſunt; quæ in Contextu, & ſerie tractationis inſeri vix commodè poterant: cùm tamen ad recenſitas Probitatis partes apprimè facere videantur. Merito itaque illis hunc librum conſignabo.

Primò ergo, ad Anamarthiſiam unicè pertinet, ſacrum illud dictum: Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis. Noviſſima verò hæc ſunt: Mors aſſiduò veniens, non longè remota, certa eventu, incerta tempore: ideoque ſemper expectanda. Non eſt enim, ut diem rectè peragas, niſi

Primum monitum, memoria noviſſimorum. Mortis.

nisi illum ut ultimum existimes. Omnem itaque tibi supremum diluxisse puta. Deinde: cogita reddendæ rationis, omnium quæ egeris, dixeris, cogitaveris, certam & præstitutam diem; toties eloquio Dei promissam, ac ingeminatam. Postremò expende, præmii aut pænæ magnitudinem, & spem ejus metumque: prout merueris. Horum autem viva recordatione, non censeas reddi vitam terrore turbatam, anxiam tristitia, & negotiorum, ac omnis actionis, ut superfluæ, incuriosam: Quinimo tranquillam potius, qua ad portum & quietem veram ferimur; Terroris expertem & vacuam; dum nempe ille timorum maximus haud urget, lethi metus. Emendatam denique: quippe sedulam boni operis & meriti; & exinde lætam semper.

Judicii

Præmii, aut pęnę.

Vitæ hinc emendatio, & quies.

Alterum impeccantiæ remedium, cogitare præsentem tibi semper, & cuncta videntem adesse Deum. Fastidit hoc, & aversatur apud Ciceronem Epicureus: dum conqueritur, impositum Cervicibus nostris sempiternum Dominum, omnia advertentem, quem dies & noctes timeremus: Sed

Alterum monitū, præsentiæ Dei.

non

Qui nobis adest, & inest.

non Chriſtiana noſtra Philoſophia; cui initium ſapientiæ eſt timor Domini; firmum nempe peccati, & temerandæ conſcientiæ frænum. Illud verò non poteſt haberi, niſi firmiter agnoſcamus præſentem nobis Deum. Agnoſcimus ergo, ſcimuſque; quòd non ita nos ambiat undique, & impleat aer, ut ille. Immenſus enim non eſſet, ni ubique eſſet: ni operi ſuo & circumfuſus, & inditus; extra illud, & intra.

Et aſpicit noſtra.

Itaque in illo vivimus, movemur, & ſumus. Ideoque omnes animi, ac cogitationis receſſus pervadit, ac penetrat: & tacita quamvis, loquitur illi voluntas. Cùm itaque ſolus fueris, cùm fores clauſeris: ne putes te eſſe ſine arbitro. Videt te enim, & aſpicit præſens Deus.

Ideoque eo coram non peccandum.

Sancti in Deo, & Angeli, teſtes intendunt oculos. Deo verò ſpectatore, & olim Judice, & Vindice, tum verò tot teſtibus coram, quanta eſſe debet non dicam verecundia, ſed abominatio etiam, terror horrorque peccandi. Altè id ergo defigamus in animo: in conſpectu Dei, Opere, Verbo, Cogitatione verſemur?

Et inviſibilē tanquam videntes ſuſtineamus.

ϗ τόν ἀόρατον, ὡς ὅροντες, ἐκαρτερήσαμαν;

Ter-

Tertium Probitatis retinendæ monitum, & ſalutare velut Antidotum cenſeo : quod vocare ſolemus Examen Conſcientiæ . Quo velut in numerato habemus motus omnes animi , ad exemplar ejus, qui dixit: Anima mea in manibus meis ſemper: ut nempe ob oculos poſita, ſpectataque, quotidie emendatior eſſet . Quemlibet itaque diem ſcrutemur. Commotionum, quò nos ducant, quantùm raptent, & modum & finem, in nobis ſpeculemur. Quæ vitia magis infeſtent, ac urgeant, expendamus: & huic fini facta, dicta, cogitata remetiamur . Cauſam omnium, coram interno conſcientiæ Judice dicamus . Et quia hoc arbitro nemo nocens abſolvitur; pænam etiam pænitentia ſumamus, donec exercitatione iſta ſanetur, quidquid corruptum, & pravum fuerit . *Monitum tertium, Examen conſcientiæ.* *Quo vita judicatur, & corripitur.*

Verùm, quia Judicium hoc, quod de Nobis ipſis inſtituimus, ſæpe depravat, ſemper ſe inſinuans amor ſui, qui connivere quemque ad ſua vitia facit; uſu verò compertum, in aliena nos cernere acutiùs: Ideo quartum monitum, magno præſidio ad parandam omnium *Quartũ, varia admonitio.*

com-

commotionum eutaxiam, & virtutum exercitium erit: Testem aliquem, & Inspectorem, imò Censorem bonum, & prudentem eligere; cui nos aperiamus, & revelemus. Nam, si est aliquid, (ut inquit ille) quod ex viro bono, vel tacente proficias; quantò magis docente, instruente, admonente? Elige itaque, qui tibi blandè, temperanter non affectu sed judicio, munus hoc amici monitoris exerceat; deinde moneri ab eo ne detrectes, nam alioqui ἀνουθέτητος, ἀθεράπευτος. Cæterùm vel hinc eximius patet fructus, & præstantissimum veræ probitatis remedium; ex instituto Religionis Catholicæ; quo confitemur alter alteri peccata nostra, & conscios facimus Conscientiæ nostræ: non modò monitores; sed omnino Judices. Sed hac de re suo loco, nempe libro, qui de Pietate.

A Viro bono.

Qui ad hoc eligẽdus.

Non monitus, non correctus.

Confessio Catholica etiã huic fini.

Quintum monitum.

Quintum, ultimumque monitum, idque ad eupraxiam propriè pertinens est: Ut non in præceptorum cognitione tantùm sistamus: sed illa ad usum etiam aptemus, transferamusque. Cùm enim nulla ars, & artificium solis constet præceptis; sed addi exercitatio de-

debeat, quæ omnia evincit, perficitque: Certè & sapientiæ, quam artem bene vivendi quispiam dixit, adhibenda ἄσκησις est: quæ illam demum consummatam reddat. Præclarè enim, ut multa Epictetus dixit: Peccari à Philosophiæ studiosis, quòd dogmatum demonstrationem potissimùm inquirant, usum verò illorum insuper habeant. Exempli causa: si ponatur dogma, non esse mentiendum; causa inquiritur dicti: & demonstratio mandatur memoriæ; res ipsa non impletur. Itaque mentimur quidem, inquit: quamvis interrogati, cur non sit mentiendum? Causam in promptu habeamus. Ergo non in cognitione tantùm, & indagandi labore, nec in differendi peritia ponenda est opera: sed facta omnino addenda; inque illis potissima profectus ratio collocanda. Non enim ingenium excolere oportet, sed animum: non solertiæ laudem aut oblectationem captare ex studio sapientiæ, sed fructum: qui nos expertes vitiorum, Commotionum arbitros, Virtutum compotes, Temperantes inquam, Justos, Fortes reddat. Frustra alioqui notitia præ-

Preceptis addendā exercitationem.

Exercitatio.

Nec disputare oportet.

Sed vivere.

præceptorum ; si de virtute locuti, vitia sectemur. Frustra Probitas, quæ intra verba tantùm consistit. Non enim Auditores legis, ac periti ejus interpretes ; sed factores operis officium implebunt, ac præmium consequentur.





LIBER OFFICIORUM SECUNDUS.

De Charitate.



INsistendo factæ divisioni Officiorum, postquam ea disserui, quæ ad Probitatem putavi pertinere; aggredior Officia Charitatis: eum invocans, qui Charitas ipsa est; ut veram ejus arcanãque vim aperiam mortalibus, ac instillem. Hanc itaque ut nova, nec hactenus usitata methodo, ac ratione explicem: primùm ita definiam. Charitas, est propensio animi erga proximum benigna, benevola, benefica. Benigna imprimis: nempe judicium, & sensum de proximo, quàm maximè bonum, retinens: cuncta ejus vel probando, vel tolerando, vel amanter corrigendo. Benevola

Definitur Charitas

Benigna.

Benevola

vola deinde, in apprecatione, voto, studio, ut bene illi sit: & dum est; gaudio, & congratulatione. Benefica denique: libenter, & copiosè opitulando necessitatibus ejus, id est, opera, ut vocant, misericordiæ, promptè erga illum, & largiter exercendo.

Benefica.

Debita à communi ortu.

Debita verò prorsus humano generi: quòd uno parente satum, cognationem agnoscere meritò debet; & ex illa mutuum habere amorem. Etenim, cùm non animalia modò ejusdem speciei congregentur, conciliante natura; sed inanimata quoq; & sensu carentia conjungi quodammodo appetant; idque pondere, sympathia, ac propagine testentur: Quantò magis id homini conveniet, cui non alia natura, quàm ratio est? ut nempe sui generis societatem quærat, concordiam appetat, commune norit bonum, impleat officium: id est, mutuam exerceat charitatem.

Naturæ ductu.

Amare certè, & amari; itemque sibi mutuò prodesse, natura suadet, exigitque; eique obsequentem hominem, homini non posse nocere, apertum est. Nam si noceret: aut id putaret non iniquum; aut non pejus malis corporis,

ris,

ris, & fortunæ. Si primum: quid cùm eo disseras (inquit Cicero) qui hominem ex homine tollit? Si alterum: erraret in eo, quòd ullum malum gravius malo animi putaret. Naturalis ergo Amor & Amicitia: Contra Naturam verò, ἀφιλία: divisionis, discordiæ, & demum interitus parens.

Amoris vacuitas.

Quod si Charitas, vel ipsius naturæ & rationis ductu, homini propria: quantò magis jussu Dei? Hoc mandatum ejus primum, & maximum, ut illum diligamus toto animo: Suppar autem ei alterum, ut proximum. Suppar inquam: Justi namque experimentum est unicum, actio cum proximo. Non enim amare Deum potes, quem non vides; si proximum odisti, quem vides. Et si Deum verè amas; nempe bonum tuum: necesse est, ut ames proximum, qui æquè tecum ad amandum eum factus est. Nam quæ tertio congruere tenentur, inter se congruant necesse est: Amorem ergo Dei Amor proximi necessariò consequitur.

Et denique jussu Dei.

Diligamus itaque invicem: nam plenitudo legis, dilectio. Quam nisi habeam, (inquit Apostolus) nihil sum:

Itaque exactè habenda est.

nihilque prosunt reliqua virtutum officia. Et cùm à Discipulo Christi peteretur, cur eam toties ingeminaret; quia præceptum Domini est, inquit: & si solum fiat, sufficit. De hac igitur libro hoc agam: & qua ratione exactè præstari possit; tribus Capitibus ostendam.

CAPUT I.

Qualis Charitas in statu innocentiæ fuisset: & quoniam tam exacta post peccatum haberi non potuit; ex illius defectu, de origine Juris.

Causa adfertur, cur inquirenda est charitas primitiva.

DE Charitate dicturo, operæ pretium imprimis videtur indagare: qualis Virtus ista fuisset in sua Origine, & velut fonte, id est, in statu innocentiæ. Cùm nempe homo nulla labe infectus, imitator fuisset divinæ bonitatis; eam erga proximos exercendo. Operæpretium hoc, inquam, inspicere: quò in statu hoc multifariàm vitiatæ Charitatis, primitivam illam, quàm maximè æmulemur: ut ex defectu ejus, ortum Jus ad illam, quoad fieri potest, revocemus, aptemusque. Dicam

igitur

igitur hoc Capite tria. Primò ostendam statum Charitatis primitivæ. Deinde deducam, illam talem post peccatum subsistere non potuisse. Tertiò illam, inducto Jure sarcire, ac reparare, necessarium fuisse, evincam. *Tripartita capitis divisio.*

Pars Capitis Prima.

De Statu Primitivæ Charitatis.

COgitanti itaque de Primitiva Charitate, in mentem primùm venit: illam tres dotes, quibus & perficeretur, & conservaretur, necessariò habituram fuisse. Nempe, lubentem inter se æqualitatem: Rerum omnium Communitatem: Omnis oneris à se vicissim exigendi Immunitatem. Optimè enim Charitas mutua retinetur, primùm inter pares; deinde, nihil ut suum usurpantes; postremò nihil à se vicissim, velut debitum, requirentes. Paritas, seu Æqualitas, prima genitrix Charitatis. Cùm namque naturaliter se quisque amet; ideò & sibi similem: id est parem, & æqualem: Nam in illo seipsum. Unde illud: quòd Amicitia pares aut acci- *Charitas primitivæ.* *Habuisset æqualitatem.*

Cōmunitatem. piat, aut faciat. Communitas deinde altera ejuſdem origo. Cùm enim præcipua diſſidii cauſa eſſe ſoleat, à pluribus uſurpatio rei alicujus, quæ pluribus non poteſt ſufficere; ideo inducta Communitate, & proviſa cunctis æquali ſufficientia, (quæ neceſſariò fuiſſet in communi vita) Charitas facilè conſtabit. *Immunitatem.* Immunitas denique auctrix Charitatis erit. Quia gravis, & ſervilis, ideoque odioſa eſt exactio debitæ obligationis: qua ſublata Charitas manet ſponte, ac liberè ſupplens, quod extorquebat obligatio.

Eæ dotes faciles innocentiæ. Porrò triplex hæc dos Charitatis, facilè in ſtatu vitæ innocentis haberi potuiſſet. Nam Æqualitas manaſſet primùm ab Æqualitate Conditionis, qua creti ſumus; & per quam omnia habuiſſemus æqualia: Deinde ab eximia quadam bonitate; quæ non permiſiſſet viribus parare poteſtatem; quæ naturaliter cuique in ſe tantùm eſt, eaque libertas vocatur. *Quod in ſingulis oſtēditur.* Denique cùm ſibi quiſque adultus ad omnia ſuffeciſſet: (prolem ſolùm teneram excipio) opus non habuiſſet alieno obſequio. Communitas item omnium rerum

rum facilè constitisset. Nam occupatio, & dominium, & possessio, inutilis prorsus foret; cùm eam sufficientia, & parabilitas rerum sponte provenientium, superfluam fecisset. Denique Immunitas mutua foret; & extorsio obligationis necessariò cessasset. Cùm, ut alter alteri munifex esset; nec ullius necessitas egeret, nec quisquam exigeret, sed voluntati tribuentis relinqueret. Quanquam nec tribuere opus foret: cùm in αυταρκεια, cujusque, benevolentiæ tantùm, vix benificentiæ locus esset. Et hic futurus fuisse videtur status exactæ, ac consummatæ Charitatis. In quo lege, aut scripto jure opus non fuisset: cùm sine mala libidine, & concupiscentia; eoque sine pæna, aut coercitione, agere potuisent.

Sui sufficientia.

Ita ut scripto jure opus non fuisset.

Pars Capitis Secunda.

De impossibilitate Primitivæ Charitatis.

CORrupto verò per peccatum primi Parentis genere humano, nullo modo ejusmodi Charitas potuit retineri. Nam in pænam peccati, invasit

Post peccatum orta.

Infirmitas. nos, primùm Infirmitas: dum pulverem nos esse; facilem dissipari, primo Parenti à Deo dictum, & simul factum est. *Indigentia.* Deinde Indigentia; dum ab eodem sterilem alendis Nobis terram, spinas tantùm & tribulos suapte germinantem, accepimus. *Labor.* Postremò Labor accessit, cùm in sudore vultus pane vesci jussi, & damnati sumus. *Hæc dictas dotes sustulere.* Hæc tria verò Æqualitatem exuere, proprietatem quærere, obligationem pacisci coegerunt.

Sed subvenit infirmitati potestas. Etenim ad auxilium Infirmitatis, necessariò debilioribus ferenda: validioribus verò ad majorem commoditatem, viribus paranda: & ne privatim parta, nimiùm excresceret, tandem consensu, Civitati deferenda fuit Potestas. Tollenda verò Æqualitas, per quam Charitate cessante, nec hospes ab hospite tutus, nec sibi sufficiens quisquam erat.

Indigentiæ dominium. Deinde: Cùm etiam non sufficerent nobis, quæ ad usum vitæ pertinent; ea verò, naturæ seipsam conservantis ductu, acquirere quisque sibi mallet, quàm relinquere alteri: In communi omnium Indigentia, ad occupationem ven-

tum

tum est : ut, quod quisque primus manu apprehendisset, vel pede calcatum limite signasset, id ei, eripere alteri, fas non esset. Ita necessariò Communitas, (aucto præsertim genere humano, & non habente sufficientiam) paulatim sublata, rerum omnium, quæcunque occupari potuerunt.

Labori obligatio, seu opis alienæ exactio.

Tertiò denique : Quia labor gravis, & onerosus nimiùm erat; nec suus cuique sufficiebat; obligatione varia, ad operas præstandas, fructus ex iis tribuendos, ac communicandos, se mutuò obligare, ac obstringere, & promissa, pacta, Contractus, exactè exigere, necesse fuit: Immunitate sublata. Præsertim cùm etiam conjunctim, & in commune laborem impendere non minùs grave foret. Nam opera in rebus parandis, & usus in consumendis par omnibus esse debuisset: quod deficiente Charitate fieri non poterat.

Ex concupiscentia Charitatis noxa.

Ad hanc corporis miseriam, quæ Charitatem illam Primitivam ægrè permisit retinere; accessit illa, quæ animum corrupit, triplex Concupiscentia: auxitque immensùm impedimenta mutuæ dilectionis. Per hanc etenim,

nim, non contenti homines necessitati subvenire: ultra ejus exigentiam appetiere inania, & superflua; id est mala. Illecebras nempe Corporis, blandimenta fortunæ, & inanis gloriæ, & elationis varia nutrimenta: quæ sat, retegendo vitia, quibus scatet genus humanum, recensui. Ita Avaritia præcipuè, & Ambitio Charitatem sustulit: rupit concordiam: vim & bellum intulit: & exinde Æqualitatem, Communitatem, Immunitatem penitus extinxit. Quæ non extinguenda omnia erant, sed ad certum modum, & temperamentum reducenda.

Et ferè interitus.

Pars Capitis Tertia.

De necessitate Juris scripti, ad Societatem Civilem (cujus origo ostenditur) retinendam.

Jus institutum reparavit Charitatem.

FAcit ergo hoc, & præstat Juris scripti institutio. Quæ necessariò subsequi debuit, potestate, & obligatione introducta. Nisi enim hæc jure temperata essent; perpetuum dissidium, bellum, & dissociatio generi humano imminebat. Si enim liberum

cui-

cuique fuiſſet, ſubjugare quos vellet, occupare quæ vellet, adſtringere quocunque modo vellet; vi & armis omnia agerentur. Cum præſertim par quoque libertas eſſet renitendi, & reſiſtendi; & fas tam propulſandæ violentiæ, quàm inferendæ. Itaque æterna ſemper odia mortales gererent, nec cæptus unquam cederet ex animis furor, & arma fortior ac felix teneret, infelix verò ac victus ſtudio ultionis nova compararet. Ac denique ferina vita, & belluina rabies, & interitus Societatis inter homines, jure non conſtituto eſſet.

Alioqui fera vita hominum fuiſſet.

Porrò Societatis origo, eſt mutua ſui Indigentia: illicium ſermo: initium proles: progreſſus familia: conſummatio Civitas: ejus autem anima Jus.

Societatis civilis ortus, progreſſus, & conſummatio.

His inquam gradibus crevit forma Civitatis, & hinc petenda eſt intima ejus cauſa. Quia enim mutuæ opis Indigentia inter nos evidens erat; (Cùm, uti ſupra dixi, infirmam, omni præſidio deſtitutam, rerum externarum egentem conditionem ſortiti ſimus) Ideo niſi communi ope ac viribus fulciremur, interire nobis neceſſe foret. Quemadmodum autem membra ſingula,

Cauſam habet Indigentiã mutuam.

gula, varia functione ac ministerio, usui, & commoda sunt toti corpori: Ita diversa multorum officia, munia, operæ, artes, labores in commune Societati consulunt; se vicissim juvant, & socialem vitam omnino expetibilem faciunt. Præsertim verò cùm accedat non alia causa, quàm colloquii & conversationis, datus nobis sermo: quo ad Consociationem & commercium allicimur, alioqui frustra eo instructi à Natura, seu Deo. Hinc & litteræ inventæ, quibus absentibus etiam; imò & posteris loquimur, & memoriam majorum retinemus: Conamurque earum beneficio, velut præsentes conjunctosque habere, qui erant, & qui fuere. Tanta est Consociationis appetitio.

Instrumentum ejus sermo.

Initium sumit à prole.

Initium Societatis prolem feci. Etenim conciliante natura, prima est inter Parentes, & Natos, charitas. Ea verò jubet, quod genitum, fovere, curare, educare. Incipit itaque exinde homo non solus esse: nec sui tantùm curam gerere; sed Societatem inire, è qua prodit Familia, quæ ex Matre, Patre, Filio, & Servo constat; & domum, variè aucta, facit. Denique ex

Inde Familia.

Con-

Consociatione Familiarum Vicus, Oppida, Urbes; ex illis verò mutuo fœdere vinctis; & communi rectore, ac forma certa summi imperii constitutis, Magna illa unius populi Civitas ortum habet; Cujus animam dixi jus esse. Ut enim eo fruamur, violentiæ ac injuriæ securi; multitudo in unius populi corpus coaluit.

Et demum Civitas.

Jus verò, (prout rectè divisit, si factæ divisioni institisset, eamque sensu alio posuisset Justinianus:) vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad Actiones. Personis respondet Potestas: Rebus Dominium seu possessio; Actioni Obligatio. Hæc tria, inquam, ad certum modum jus redigit, ordinatque. Ita ut & sarciri possit Charitas, societasque retineri: & nihilominus ad conservationem sui sua cuique constare commoditas.

Jus ad personas est potestas.

Ad res dominiũ.

Ad actiones obligatio.

Hasce autem humani juris partes, speciesque introductas, ut ostensum, necessitate ipsa; comprobavit Deus præscripto Decalogi, Hebræis quidem tantùm primitus dato; Sed deinde & Christianos meritò obligante: Quippe cùm socialis vitæ vim totam exactè con-

Has partes juris sanxit Deus Decalogo.

contineat. Nam post capita, quæ ad Deum & pietatem pertinent; primum nempe & tertium; reliqua recensitas juris species evidenter complectuntur. Ad potestatem enim refertur imperatus capite quarto honor parentum; id est majorum, superiorumque; & qui nostro bono & commodo nobis præsunt: omnes enim hi meritò vice parentum habendi; debeturque iis, ex hoc præcepto, veneratio & obsequium. Deinde eodem pertinet, & prohibitio occidendi, capite quinto. Nam dum vis iniqua arcetur, & violenta potestas contra fas usurpata vetatur; hoc ipso legitima constituitur. Quinimò & adulteria capite sexto ideò vetita, quia per illa naturalis potestas (de qua mox) violaretur, ac interiret. Et hæc sunt quæ potestatem spectant. Ad dominium verò, & possessionem firmandam, furta prohibentur, & alieni omnis concupiscentia; capitibus septimo, nono, & decimo. Denique ad obligationem stabiliendam, capite secundo, sancitur juramenti religio: dum vanum seu irritum vetatur. Tum verò octavo fides & veritas, id est fundamentum

Ejus præcepta ad potestatem pertinentia.

Ad dominium.

Et obligationẽ.

spon-

ſponſionum præcipitur, dum falſidicum teſtimonium prohibetur. Atque ita tota, quod dixeram, juris humani ratio, divina authoritate conſtituta, firmataque eſt: & tabulis (ut Tertullianus loquitur) cœleſtis edicti, & ſanctiſſimæ legis ſancito, poteſtas, dominium, ac obligatio approbata. Ideoque meritò teneri nos hiſce vinculis oportet, quæ neceſſitas invexit, Deus probavit, & juris inſtitutione retinere, certo modo, ac ratione injunxit. *Ob tantam authoritatem, teneri hoc jure.*

CAPUT II.

Oſtenditur quid ſit Jus, & quotuplex, & quales eſſe inter homines debeant recenſitæ ejus partes, & Species.

PAtet apertè ex antecedenti Tractatione, Jus ita commodè definiri poſſe: ut ſit Regula conſervandæ inter homines Charitatis, ſeu Societatis: idque poſt introducta in uſum ea, quæ ei repugnare videntur. *Definitio Juris.*

Hujus Regulæ fons eſt & origo, Verum: quod ineſt Divinitati, velut lex quædam æterna, & immutabilis Recti, *Origo ab æterna Dei lege.*

ac

Quæ partim nobis insita. ac boni : à qua tota Juris ac Justitiæ natura manat, ac derivatur. Partim enim æternam legem hanc, ejusque rationem, DEUS naturæ rationali, dum eam crearet, indidit : (alioqui rationabilis non esset, si rationis istius expers esset :) unde fluxit illa ante peccatum nobis insita, & post peccatum non penitus extincta Notio eorum, quæ naturæ nostræ conveniunt : Exinde verò ortum, quod vocatur Jus naturale. *Partim promulgata.* Partim voluntario sancito nobis promulgavit : unde Jus Divinum, quod vocant Positivum. Cui inest quidem eadem ratio, sed non expressa, & supremi justissimique Conditoris voluntate velut tècta; cui jus est, ita sancire quædam, ut sanciti sui ratio non reddatur. Ejusmodi verò Jus, aut ipsemet dedit Judæis per Moysem, & Nobis in Christo; aut vicariæ suæ potestati reliquit : cui ligandi quidvis, ac solvendi facultatem concessit : cum ratihabitionis promisso : Unde Jus Ecclesiasticum, seu Canonicum. *Partim constitutione humana, Dei permissu, expressa.* Partim denique permisit, eandem æternam legem exprimere humana Constitutione, (quæ ut sit justa, conformis illi ; aut certè nullo modo

con-

contraria esse debet :) inde verò est Jus Humanum. Quod vel usu, & consuetudine nationum receptum, Jus Gentium nominatur : vel legibus cujusque populi, seu Civitatis descriptum ; Jus Civile dicitur.

Totum verò hoc simul sumptum, aliquid homini posse habere aut vetat, nempe illicitum ; aut permittit, nempe licitum ; aut præcipit, nempe debitum. Quanquam si propriè loquendum est, quod vetatur ; nefas : quod permittitur ; fas : quod jubetur ; jus est. *Et aliquid vetat, permittit, jubet.*

Hac origine, ac partitione Juris demonstrata, superest, ut cùm superiori capite ostenderim : quod tria hæc ; Potestas nempe, Dominium, & Obligatio, necessariò quamvis introducta, imò & Divino approbata edicto, adversarentur tamen Charitati, nisi Jure temperata, & ad certum modum reducta sint ; Superest inquam, ut modus hic circa singulas hasce partes explicetnr deinceps : & ex illo liciti, vetiti, jussi denique, tota ratio, ac regula statuatur. Sit itaque.

Pars Capitis Prima.

De Potestate, prima Juris Specie.

Necessitas inter homines potestatis ostenditur.

Regi, & regere.

POst ſublatam Æqualitatem, quæ (ut ſuperius oſtendi) in ſtatu corrupto manere non potuit, Poteſtatem certa ratione conſtitutam, hominis in hominem fieri ἄρχειν ϗ ἄρχεσθαι neceſſarium omninò fuit. Cauſa eſt: quia nec ſine Societate homo ſibi ſufficiebat, nec Societas retineri potuit, niſi quidam regerent, quidam regerentur. Nam cùm & Æqualitas conſtare non poſſet; & omnes imperare mallent, quam parere: non Societas tranquilla, ſed certamen continuum fuiſſet de principatu; niſi illud aut natura, aut vis major, aut conſenſio finiviſſet. Quæ tria triplicem fecerunt Poteſtatem. Prima eſt naturalis, & Neceſſaria, in Uxorem, prolem, ac natura regiminis indigum: Altera violenter acquiſita, in ſervos: Tertia ſponte conceſſa, & delata imperantibus. De ſingulis conſueto compendio dicam.

Eaque triplex eſſe declaratur.

De Poteſtate Naturali.

Poteſtas viri in fœminā.

POteſtatem Naturalem in Uxorem confert primùm Jus naturæ,

quod

quod jubet præstantiorem sexum, firmiorem, fortioremque, sequiori, infirmiori, & imbecilliori præesse. Idem Jus Divinum præcipit; dum sub potestate Viri fœminam constituit. Jus demum humanum, & consuetudine, & lege id implevit. Uxorem ergo decet dirigere, sed simul & diligere. Nam imperium hoc amoris, & Charitatis esse debet, nempe erga comparem thori, & vitæ sociam, castam, probam, viri, liberorum, domus studiosam, ac sollicitam: quæ si talis non est, sæpe vitium ex eo mariti. Prudens certè reget eam leni fræno: retinens, ac procurans maximè concordiam; nempe Matrimonii & ornamentum, & suave ac unicum condimentum. Qui verò magni hujus Sacramenti status, conditio, obligatio, quæ conjugales leges, quamvis hoc loco facilè potuissent recenseri; tamen quia cuncta hæc, usu tot scriptorum trita, & apud eos obvia ubique habes; ideò meritò hic, ubi compendio studemus, omittenda.

Sed blanda, ut in comparem.

Quod docebunt Matrimonii leges.

Sequitur verò pars altera Naturalis Potestatis, nempe in Prolem, quam eadem natura propter beneficium geni-

Potestas Parentis in prolem.

turæ, nutritionis, educationis parentibus confert; & ob authoritatem ætatis, ac ſenii conciliat; Deus verò, ſub pœna immaturæ mortis præcipit: Jus denique humanum ubique gentium retinet; Legibus verò olim Romanis ſeveriſſimè, & ultra morem aliorum populorum, Emancipatione ad libitum Parentum data; & ante eam, non minore eorum in prolem, quàm in ſervos poteſtate.

Officium filii impuberis. Sed ſi ad examen rectæ rationis reduci res debet; commodè ex Ariſtotele tria liberorum tempora, vir diſtinxit eruditus. Primum tempus eſt imperfecti judicii, quo planè ſunt ſub herili poteſtate; dum hæres, quoadusque parvulus eſt, nihil differt à ſervo. Æquum autem, ut qui ſe regere nequit, regatur aliunde: convenientiùs verò non poteſt, quàm à Parente. *Adulti.* Secundum tempus Liberorum, cùm jam judicium illis ætate maturuit, non tamen ſunt extra familiam. Tum ſubeſſe debent arbitrio parentum non aliæ eorum actiones, quàm quæ ad familiam momentum habent: Convenire enim debet pars cum ratione integri. Tertium

tium tempus, cùm jam extra familiam exeunt; tum enim jam plenè sui juris sunt, manente tamen semper honoris & observantiæ debito, cujus causa perpetua est. Hæc ille. *Emancipati.*

Itaque Parentes debent liberis educationem; nempe quod suscepere, tollant: (nam exponere, aut perimere nefas: quia non toti ab illis sumus, alienum autem non licet perdere:) alimenta præbeant; nam frustra tollerent, nisi sustentarent. Et denique; quæ ad benè rectèque vivendum sunt, procurent, ac prospiciant; memores, non sibi illos tantum, sed Deo, Familiæ, Patriæ genuisse. Parentibus verò debetur primùm obsequium, & semper honor. *Officium Parentis erga filium.*

Ubi verò iis orbatur proles, eaque immatura, & quæ per ætatem tueri se nequeat; Et rationis ipsius ductu, & gentium omnium instituto, locum obtinent Tutores: id est (ut Jurisconsulti derivant) pupilli Tuitores. Hi aut testamento dantur, aut proximiori adgnatione obveniunt, aut à supremo Magistratu assignantur; cum potestate, quam apud Jurisconsultos, unà cùm officio descriptam habes. Est professò *Officium Tutorum.*

functio, cum exactè impletur eximii, sed admodum rari meriti.

Potestas in servos ingenio. Pars tertia Naturalis potestatis est in eos, quos Aristoteles vocat natura Servos; nempe tali ingenio præditos, ut regi ac gubernari necessariò indigeant: & (ut cuidam dictum) Domino opus habent. Talibus ergo ita præesse oportet, ut prosis.

De Potestate Acquisita.

Potestas servitutis acquisitæ. POtestas Acquisita fit, prout dixi, vi majore. Quæ triplex esse potest. Prima propriæ miseriæ ejus, qui necessitatibus vitæ adeò est destitutus, ut cogatur se tradere alteri ad perpetuam operam, pro alimento & tegumento. Altera est Pœnæ ob delictum capitalis, quæ commutari potest in servitutem. Tertia justi belli, dum hostis victus hac conditione servatur, ut serviat.

Ostenditur eam juri naturæ non repugnare. Ejusmodi verò violentæ potestati repugnat quidem natura, si per se spectetur; nam per illam omnes sumus liberi; sed post introductum jus illud, quod sarciendæ societati dixi esse necessarium, non repugnat. Nam non vetat naturalis ju-

justitia pacisci obsequio victum ab eo, qui ejus copiam, & dominium habet. Nec iniquum, ut egestatem evites, præstabilem navare operam. Deinde cùm tam ex judicio; unde pæna: quàm ex bello; unde captivitas: cùm inquam utrobique necis summa potestas sit licita; (prout id ostendam infra, & demonstrabo,) utique licita erit minor, quæ est, herum esse ejus, cui vitam concesseris. Unde patet, non refragari legem naturæ violentæ potestati. Lex verò divina, dum illam non vetat, permittit. Jus autem humanum eam auxit, ac longiùs produxit; dum ex servo natos, non melioris conditionis voluit, & venundari eos permisit: & quidquid acquirant, Dominis acquirere decrevit. Isque rigor excusabilis exinde; quia & nece minor, & commodior utiliorque, tam ei, qui jus ejus habet, quàm qui ei subest: Cohibetque, & avocat à crebra cæde. Unde & à Christianis diu retentus, nunc tamen remisit: vitæ ac necis jure ad supremam potestatem revocato; & venundatione ferè sublata. Ita ut priscæ illius servitutis pauca supersint vestigia, nisi forte in Ethnicis ca-

Nec à Deo vetari.

Constitutione humana auctam esse.

Idque non iniquè.

ptivis, & adscripticiis colonis, quos cum terræ possessione vendere licet.

Officio Dominos teneri erga servos. In tanta verò Dominorum in Servos potestate, aut licentia, est nihilominus, quod illis Domini debeant. Et primum, ex admonitione Apostoli; quod justum & æquum est, illis præstare tenemur. Memores, (ut idem ibidem dixit,) & nos esse sub Domino: apud quem non est acceptio personarum, & cui reddenda erit ratio debitæ, velut in conservos Charitatis; quæ nulla in-*In pœna irroganda.* æqualitate exui debet: Cùm magis fortuna nos impares faciat, quàm natura. Itaque etsi Jus pœnæ in eos habeamus; tamen non immeritæ, sed ad præscriptum, regulamque justitiæ in privata, & domestica jurisdictione exercendæ. *Opera imponenda* Etsi nobis operam debeant; tamen non ultra modum exigendam: nec ejus oneris, cui non sint ferendo. Denique *Peculio exigendo.* etsi, quidquid acquirunt, nostra esse possint; tamen quod sua industria ac diligentia, sine fraude, peculii paravere; durum & inhumanum est, eripere. *In his talibus, nil sit inhumanum.* In his talibus cogitandum: cùm Dominis in Servos multa non vetentur; tamen ut homini in hominem omnia

liceant,

liceant, naturam communem vetare. Ideoque meritò Domini, olim Patres familiæ; Servi, familiares vocati. Partim ut illis invidia, & his contumelia tolleretur; partim, ut jis nominibus moneremur, cibum eis & vestem, & quæ sunt non modò sustentandæ vitæ, sed etiam tuendæ sanitatis, præstare.

Officia servorum erga Dominos.

Servorum in Dominos officia, exacto compendio, dixit & docuit Apostolus: dum per omnia obedire Dominis jussit, & non ad oculum servire, velut hominibus, sed ut Deo; quem nemo fallit. Ut nempe, quidquid faciunt, ex animo faciant, securi retributionis.

De Potestate Concessa.

Causa potestatis concessæ, seu civilis.

POtestas Concessa, nempe summi Imperii, explicanda restat: quam ad societatem retinendam necessariam esse certum est. Etenim quemadmodum singulos homines in Familiam natura, & Jus redegit; ita singulas familias in Civitatem coalescere, ratio necessariò persuasit. Singulæ namque Familiæ, cùm & ob infirmitatem majori consociatione indigerent;

& ob

& ob inæqualitatem introductam, sine contentione & dissidio agere non possent: fieri omnino debuit, ut pactione certa, unum veluti Civitatis corpus efficerent. Ratio inquam hoc persuasit. Per illam namque patet, quòd ea, quæ plura sunt, diversa sint; inter multa autem diversa, necessariò quædam contraria sunt; quæ autem contraria, sibi adversantur, & se vicissim oppugnant; quæ se autem oppugnant, se mutuò consumunt; & tandem pereunt. Salus itaque multitudinis est, uniri. Id verò non fit nisi aut Charitate, aut Imperio. Illa bonitate quadam consensum efficit; istud verò, eundem metu exigit, continetque. Sed quia Charitas Primitiva, qualis hic necessaria esset, non potuit (prout ostensum) in statu corrupto haberi; ideo imperio opus fuit.

Quā ipsa ratio demonstrat.

Hanc à ratione ductam imperii necessitatem, non solùm nobis insevit; sed etiam effatu suo, vel suorum, firmam reddidit Deus: dum omnem potestatem à se esse; & illi omnem animã subjectã esse debere; & reddẽda imperanti, quæ ei debentur, edixit, præcepitque.

Et DEI sancitum firmavit.

Pa-

Paruit ergo & rationi, & duci ejus Deo, genus humanum; dum imperium detulit vel uni, vel Concilio, vel Comitiis. In primo ſtatu, unius juſſa valent. In altero, paucorum conſultatio ac deciſio. In tertio, per ſuffragia omnium, majoris partis conſenſio. In ſingulis verò horum, æquè Jus ſummi imperii reſidet. Unde triplex forma Civitatis, quæ vulgo ſolet aſſignari: Monarchia, nempe, Ariſtocratia, Democratia.

Triplex ejus ſtatus, ſeu forma.

Nec prolixè diſputare attinet, quæ illarum ſit præſtantior. Apertum eſt illam præferri, quæ facilius efficit, ac præſtat unitatem. Hæc enim, ut oſtenſum, cauſa eſt imperii, multitudinis ſubſiſtentia, & Spiritus vitalis Civitatis. Ut ſit igitur unum reipublicæ corpus, unius animo regendum cenſeo. Nam plures ut in unum conſentiant, iterum egebunt Charitate; quam ſublatam, aut imminutam dixi.

Maximè probatur Monarchia.

Tria perfectum reddunt imperiũ.

Sed non eſt hujus, quod inſtituo argumenti, hæc diſceptatio. Quæcunque forma Civitatis bona; modò probè, ac conſtanter Jus, Vim, & Facultatem ſummi imperii agnoſcat, retineat,

atque

atque exerceat. Hæc tria, inquam, illam consummant, ac perficiunt: paucis à me explicanda.

Primum Jus in Cives. Jus summi imperii, est arbitrium in personas, res, & actiones Civium: cui nunquam fas est refragari. Societas enim Civilis, uti dictum est, imperio continetur: summum autem imperium in eo situm; ut qui semel se atque sua ei subdidere, semper pareant, & nusquam resistant. *Cui nefas resistere.* Quod enim resistere jure potest, majus; aut certè par est: summum autem, si habet par; non est summum. *Quod ratione probatur.* Ergo non erit imperium, id est suprema potestas, si ei resistere fas; sed sequetur Æqualitas, & ἀναρχία: quæ non potest extincta, vel imminuta Charitate, prout demonstratum est, haberi. Agnoscant igitur; nec obliviscantur unquam, supremi hujusce Juris, tam potestates summæ; quàm qui illis subsunt. Illæ; ne quidpiam ejus per incuriam amittant: hi; ne quid per protervіam imminuant.

Impia si jubeare. Sed si quid (inquies) palàm iniquum, aut impium jubear; parebo? Primùm vide, & cave; ne sinistrè tale esse opineris. Deinde, si verè sit, non facies

qui-

quidem; ſed tamen pænam potiùs ſubibis, quam oppugnare, aut evertere imperium coneris. Mors enim non eſt tanti, ut ejus vitandæ cauſa aut tollatur Princeps; aut quæratur mutatio: quæ ſemper ingentium malorum cauſa eſt. Tolerare igitur, eſt viri boni; medelam verò Deo permittere: qui, cùm dominantibus, etiam diſcolis parere juſſit; juſſi ſui rationem facilè reddet expeditam: & quæ videntur mala, ad finem bonum rediget.

Pænam potius ſubeas.

Quã imperium evertas.

Vis, ſeu, ut ita dicam, vigor quidam imperii, ſequitur; qui illud vegetum, & robuſtum reddit: iſque in conſenſu obedientium ſitus eſt. Conſenſus verò hic, etſi jure debetur ſummæ poteſtati; tamen quia non in arbitrio imperantium, ſed ſubditorum reſidet; animus verò mortalium natura & origine liber, facilè regimen odit, averſatur, contemnit: ideo arte quadam imperitandi opus eſt; ut lubeat, proſit, & denique neceſſe ſit parere.

Vis, ſeu vigor imperii in conſenſu obedientium.

Lubentia parendi paratur: ſi temperes, & moderere Jus illud ſummum, in perſonas, res, & actiones Civium. Cujus, ut nunquam (prout monui) obliviſci

Obtinetur ſi lubeat parere.

visci oportet: ita non nimium meminisse, ne eo abutaris. Id est, ne cum nihil tibi vetari posse videas; omnia facere, fas esse putes. Abusus enim talis, odiosum reddit imperium: Dum sævities personis, seu vitæ; avaritia rebus, & fortunis; austeritas agendi, libertati insidiatur. Quæ quatenus lenitate, beneficentia, indulgentia, temperanda; ut benevolentiam Civium conservent: & tamen necessaria supplicia, tributa, censuram retineant; sanè accurratè Lipsius explicavit. Lubebit ergo parere: & odium noxium summo imperio minuetur, si id observes: Sciasque illud demum firmum imperium esse, quo obedientes gaudent.

Nõ sævo, non avaro, non austero imperio.

Proderit verò etiam, si imperii instituti finis, qui est bonum & commodum subditorum, rectè expendatur; & ad eum cuncta referantur: sciantque qui eo potiuntur, se non suam rem agere, sed populi. Atque ita Rempub: administrent; ut agnoscant omnes, suam omnino salutem curari. Ita, quæ onerosa erunt, levia; si proficua videbuntur. Et ut æger medico, sic populus

Deinde si prosit parere.

pulus parebit imperanti: utroque salutem, etsi per dura, quandoque & aspera, procurante.

Sed etsi hæc summo imperio admodum proficua sunt; non tamen continent totam vim ejus: nisi adsit vis alia, & vera, quæ invitis etiam necessitatem parendi afferat; & obedientiæ patientiam in animis efficit subditorum. Id partim interna quadam ratione efficitur; partim exteriori modo. Interna velut Vis est, Æstimatio & Admiratio imperantium: quæ duo, dum imprimuntur mentibus subditorum; velut cogunt illos obsequi: nempe præstantioribus melioriori busque. Hinc sata Majestas; & ei debita veneratio: id est, vita, & anima Principatus. Externa autem, propriaque vis est, à metu: qui faciendus omnino; aut, cum interitu potestatis, habendus est. Timeant itaque potiùs quàm temnant. Quod efficiet, ac præstabit, saluberrima severitas; quæ pravum, ac corruptum, quod sanari non potest, secat, ac urit. Hanc, ut securè ac tutè exerceat, profectò armatis viribus opus est. Opus tamen & moderatione: ut quamvis metuant, non

Denique si necesse sit parere

Quod efficit æstimatio imperantis.

Et metus ab imperante.

non oderint tamen; ſed potiùs ament.

Reſtat pars tertia ſummi imperii: nempe Facultas Civitatis gubernandæ; ſeu adminiſtrationis publicæ exercitium. Iſtud autem triplex eſt: nempe conſulere Patriæ, & conſulta effecta reddere; deinde Magiſtratus legere, & præmia largiri; Denique Judicia ſine provocatione exercere, & pænas infligere.

Facultas gubernandi triplex.

In conſultatione vel edicta temporaria promulgantur, vel perpetuæ ſanciuntur leges. Per edicta ordinatur, & conſtituitur, quid ſit è re Reipublicæ, quod providere, ac procurare ſupremæ incumbit Poteſtati; & huic fini rebus uti poteſt privatorum. Legum condendarum facultas, itidem ſummo imperio ineſt. Non poſſet enim illud ſuo munere fungi, niſi corrigendis Civium moribus, & in officio retinendis, neceſſaria quædam ſanciat, pro ingenio populorum, vel temporum exigentia: Et niſi jis, quæ ſanciverit, Cives teneantur. Uti autem poteſtas ſuprema à Deo; ita Leges ejus à Lege Divina & ortum ducere, & ei congruere, aut certè non adverſari debent.

Primum, conſultatio, in qua edicta promulgantur.

Leges ſanciuntur.

Multa decernuntur.

In

In decernendo maximè eminet Belli susceptio, indictioque. Bellum autem est: inter eos, qui non sunt unius Civitatis; nec, Jus requisiti, reddere volunt; certatio per vim, arbitrio supremæ potestatis suscepta: defendens, repetens, vindicans, quod juris est. Hæc est definitio exacta, puta belli publici, ac solennis; quale ad Concessam, de qua nunc agimus, pertinet Potestatem. Cæterùm bellum publicum à privato, uti exordium, ita & fas sumit. Nam cuique ante constitutum Imperium; imò & post constitutum, ubi aut non habetur, aut sera est per Jurisdictionem tuitio; naturæ se conservantis instinctu, propriis viribus datum, tueri membra primùm, & vitam; deinde quæ his subserviunt, nostraque sunt. Qui ergo ea vi eripere vult; eum, ut te defendas, vi repellere; vel ut ablata repetas, vi impetere; vel ut facinus vindices, vi afligere licet. Concessis verò ejusmodi finibus, concedi & media necesse est, quæ ducunt ad finem. Media verò belli sunt: trucidare: rapere: captivare. Quæ dictu ipso fera, & immania, penitusque

Præcipuè de bello suscipiendo.

Ejus fas deducitur.

Et gerendi media non iniqua.

adversa Charitati, permittuntur quidem; quà Juri obtinendo subserviunt; sed profectò Christianæ professionis erit, quàm maxima integritate, cautione, moderatione, ea exercere. Integritatis est; causam expendere: quæ non modò justa esse debet; sed etiam gravis, imò necessaria, idque ad pacem obtinendam. Cautionis; temeritatem & spem vanam cohibere: quam cùm avaritia, & ambitus sæpe incitet; anceps eventus, & inevitabilis calamitas belli dissuadet. Postremò, Moderationis; temperare furori in cæde, spolio, servitute. Hæc de bello.

Sed cum integritate sūma.

Cautione.

Moderatione.

Alia consultationum genera.

Ad eandem verò Consultationis facultatem, pertinet tributi indictio. Cui jus, ab eminenti summi imperii in res Civium, dominio. Licitè igitur exigitur, & debitè redditur; ut sumptus, & necessitates publicæ sustineri possint. Ejusdem Consultationis est; fœdera sancire; rem nummariam constituere; edicta de rebus variis promulgare: deniq; quidquid ad curationem Reipub: pertinet, ordinare. In hisce omnibus summum imperium bono publico provideat; subditi parere non graventur.

Fa-

Facultas altera gubernandæ Civitatis est, Magistratus, munerisque distributio: quæ nec favore cæco, fortuitovè, ut plerumque solet; sed prout quis par dignusque est, deferenda; nec per ambitum, sed meritis quærenda. Non inquam lucrum, quod illis adhæret, captandum; sed munus potiùs, officiumque quod requirunt, implendum. Quæ talia uberiùs explicant, qui tractant civilem doctrinam. *Facultas altera, nempe legēdi magistratus.*

Tertia demum facultas administrationis publicæ est, Jus dicere; & reddere. Cùm etenim nec privata vi Jus repetere, nisi cessante jurisdictione, licitum esse, demonstratum sit; Nec rerum nostrarum studium, amorque permittat rectè statuere; quid vel nobis debeatur, vel Nos teneamur: Ideo Tertio, qui id decerneret, necessariò deferenda fuit jurisdictio. Nulli autem convenientiùs, quàm supremæ potestati: cujus est arbitrium in personas, res, & actiones Civium: prout ostensum supra est. *Facultas tertia jus dicendi.* *Cur soli competat imperio.*

Jurisdictio hæc igitur, imperio debita, partim reddit, & constituit suum cuique; partim punit. Utriusque mo- *Ea, partim reddit unicuiq; suū.*

 dus,

dus, eſt lex: quæ præſcribit Magiſtratui decernendi regulam, & formam. Unde benè Magiſtratus, lex loquens dicitur: lex verò mutus Magiſtratus. Et actiones quidem, quæ ſuum repetunt reſtitui, dari, vel reparari; immensùm patent. Sub poteſtatis tamen, de qua nunc egimus; & Dominii, & obligationis, de quibus deinceps agemus, titulos, facilè redigi poſſent; niſi alterius id eſſet argumenti: nempe Juriſprudentiæ, quæ hoc ex profeſſo agit.

Partim punit. De Pœnis verò hoc primùm dicam: quòd etſi videantur Charitati admodum contrariæ, non ſunt tamen; ſi finis, moduſque earum rectè ſervetur. *Finis pœnæ.* Finis enim pœnæ, non eſt dulcedo, & oblectatio redditi per vindictam & *Commodũ ſocietatis.* ultionem doloris: (quod vitium iræ, & ſævitiem eſſe; cùm de affectibus agerem, demonſtravi:) ſed eſt commodum ſocietatis humanæ: cui tam intereſt, neminem peccare, & delinquere; quam toti corpori, ſingula membra ſana eſſe. Porrò, non tam benè eſt generi humano, ut ſublata pœna, peccandi licentiam non aſſumat: Metu ejus,

ut plurimum à malo arcetur. Itaque necessariò adhibenda erit. Et primùm, securitatis caùsa. Nam, ut tritum illud afferam: qui malis parcit, bonis nocet. Impunita enim malitia, vires & audaciam sumit; eadem, vel majora patrandi. Deinde, causa Exempli: per quod, dum pœna ad paucos, metus pervenit ad omnes; qui à peccando deterret. Postremò, causa ipsiusmet, qui peccavit: qui pœna aut corrigitur, aut si corrigi nequit, tollitur; ne pejor fiat. Tum, inquam, ei puniri expedit: & sæpe pereuntis interest, perire. Hi tres fines, seu causæ pœnæ sunt.

Id est securitas.

Exēplū.

Ipsiusmet puniti bonum.

Ratio verò, & Differentia ejusdem, itidem triplex. Aut enim compescit, vires demendo ad nocendum; quam vocabo mulctam: Aut resipiscentiam, & emendationem procurat; quæ vocabitur castigatio: Aut denique insanabiles & deploratos tollit; quæ Capitalis dicitur. Quæ verò cuique delicto irroganda sit; lex prout dixi, tum verò Æquitas & ἐπιείκεια definiet: ut adsit regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas. Quod à multis fusè tractatum, meritò hic omitti potest.

Fit aut mulcta.

Aut castigatione.

Aut Pœna capitali.

Clementiæ tamē suus locus. Præsertim cùm ad Officium, de quo hic agimus, non animadversio solùm, sed & clementia pertineat: quæ lenitate sæpe præcipuum finem pœnæ assequitur, nempe emendationem; dum verecundiam faciens peccandi, suffundit potiùs sanguinem, quàm effundit. Et profectò in tanta generis humani ad peccandum proclivitate, temperare severitati; sæpiùsque pœnitentia, quam pœna contentum esse; non solum decet: sed etiam necesse est. Præsertim cùm ita sint ingenia nostra, ut multos, citiùs ignoscens benignitas faciat meliores. *Quæ justitiæ non adversatur.* Neque id repugnat Justitiæ: quæ pœnam exigit, non quà pœna est; sed quà ad dictos fines servit. Unde si illi obtineri aliter possunt, hæc condonari licitè potest. Idque etiam post leges institutas: sed à summo imperio, quod est supra leges. Jus enim, seu potiùs fas, tàm Clementiæ, quàm pœnæ extremæ, est penes supremam, seu, quam Concessam vocavi, Potestatem: huic enim soli, vitæ necisque delatum arbitrium. *Pœna Capitalis nō competit naturali* Nam etsi quidam putent; ubi deest imperium; fas idem naturali, & acquisitæ esse potestati: tamen propria, magis-

gisque competens jis, est pœna compescens tantùm, & castigans: quæ illis integra manet, etiam imperio constituto.

potestati, nec acquisitæ.

Pars Capitis Altera.

De Dominio, Juris altera specie.

HActenus de Potestate. Sequitur verò species altera Juris, nempe Dominium. Quod plenum, perfectumque tùm demum est; cùm habetur ad rem, possessio rei, & denique usus: minùs plenum; dum aliquid ex istis deest. Porrò ostensum est supra, sat puto evidenter: communitatem rerum, etsi Charitati apprimè convenientem, non potuisse tamen, corrupto statu generis humani, commodè retineri; necessariumque fuisse, proprietatem inducere. Etsi enim hæc communionem societatis distrahere facilè potest; admittenda tamen fuit, ob insufficientiam rerum; cui cura, & industria subvenire, necesse erat: ea verò nunquam diligens, nisi propriæ utilitatis causa, fuisset. Nisi itaque Dominium, & proprietas sibi consulens foret; indigentia,

Quod sit plenum Dominiũ.

Ejus necessitas.

Ratione introducta.

& insufficientia major existeret; exinde verò occasio discordiæ, per vim sibi necessaria, & pauca, quæ suapte proveniunt, rapientis. Ita ratio ipsa naturalis suasit; & exegit proprietatem. Eandem verò adeò Deus approbavit; ut non modò surripere, sed concupiscere etiam rem alienam vetuerit. Quidquid verò proprietati inest, ad Charitatem, seu societatem retinendam incommodi; id reparat, corrigitque Jus: præscribens modum quo Acquirantur, Habeantur, & demum Desinant Dominia. De tribus ergo hisce dicendum est singillatim.

Et à Deo probata.

Jus ei modum præscribit.

Acquiritur Dominium, primùm occupatione eorum, quæ non sunt occupata. Estque licita talis occupatio, ob datum nobis à Deo Jus in res omnes inferioris hujus mundi, quas subjecit potestati nostræ. Quisque igitur eas occupare, & ad usum suum convertere, licitè & jure potest. Si autem, quæ primus quispiam occupavit, jure acquisivit, & possedit; profectò ea illi eripere alter, nisi injuria, non poterit. Illicita ergo erit acquisitio rei semel occupatæ, ac possessæ. Occupationis verò

Primum in acquirendo.

Per occupationem non occupatorum.

rò ejusmodi ratio, & modus est; ut quod acquirere velis, corpore contingas. Res quidem, quæ loco moveri possunt, manu apprehendendo; terram verò pedibus adeundo, vel limite signando. Unde patet: solo animi actu, aut verbis, occupationem non fieri. Sed infrequens jam est modus hic acquirendi: cùm vix ἀδέσποτα inveniantur. Nam & loca, si quæ sint non habitata, ut montes, sylvæ, campi, à territoriis adsitis ut plurimum usurpantur: & captura ferarum, legibus sæpe, usque non illicitis vetatur: & thesaurus, ab immemorabili tempore defossus, sæpiùs per leges non inventori cedit, sed Domino loci.

Quod fit contactu, seu apprehensione.

Domino carentia.

Sequitur igitur alter acquirendi modus, nempe successio, seu hæreditas. Quam natura, seu recta ratio, mos gentium, & paginæ sacræ authoritas, assignat soboli, post fata parentum. Convenientissimum enim est, ut à quorum propagatione, & genitura, corpus nacti sumus; ab iis etiam, quæ ei sunt sustentando, nempe Dominium rerum nanciscamur. Ubi autem proles deest, eadem ratione, citima quo-

Alter modus acquirendi, hæreditas.

que

que adgnatio, cognatioque loco ejus erit. Cæterùm de successione ejus, qui & prole, & cognatis certis, notisque careat, intestatusque decedat; infra dicam.

Tertius, translatione Dominii.

Tertius modus acquirendi est, à translatione Dominii, ab eo, qui plenum ejus jus, & à nullo dependens habet. Inest enim facultas alienandi pleno dominio: adeò, ut hæc potissima sit nota proprietatis; posse, quod meum sit, jure transferre in alium.

Id est; donatione, venditione, commutatione.

Translatio verò ista Juris, aut gratuita est; in donatione: aut accepto rei pretio; in venditione: aut re, vel officio; in commutatione. In omnibus istis, dantis & acceptantis voluntas exprimi debet externis; & quò magis irrevocabilis sit, manentibus signis. Et compos rationis sit oportet, qui Dominium transfert; suæque spontis ac potestatis.

Acquisitio per testamentum, & legatum.

Sed adeò hominibus rerum suarum libera placuit dispositio; ut eam ultra vitam quoque extendere voluerint: concesso nempe, & condito testamento. Quod ita potest describi: ut sit ultimæ voluntatis, de rebus morte derelictis, dispo-

dispositio, ac testimonium; post mortem demum valiturum, ante eam verò possessionem, & usum rei legatæ non eripiens: & testandi aliter, liberam relinquens potestatem. Datum hoc videtur consensu gentium, velut remedio mortalitatis: cùm (ut Lipsius dixit bene) solatium fati sit, voluntas ultra fatum. Consensu, inquam, gentium valuit: ut prout quisque rem suam legasset; ita jus esset. Alioqui natura dictat, nos nihil ultra mortem posse.

Ex jure gentium.

Itaque miror, id inter acquisitiones, quæ jure gentium fiunt, non poni primo loco. Cùm magis ad illud referri possit, quàm acquisitio; quæ fit Jure belli. Ea enim naturali etiam nititur æquitate. Nam dum damnum, vel injuriam repeto, aut vindico justo bello; facio id non modò magna rerum jactura, sed etiam vitæ periculo: quod inæstimabile est. Qui igitur ad tam extrema me adegit; is profectò obnoxium se fecit gravissimæ, quæ potest esse, vindicationis. Præsertim, si aucta sit, post facto, & progressu belli, injuria. Tum inquam, Jus mihi confert victoria, in ipsam vitam hostis; non

Acquisitio jure belli.

Quæ non iniqua ostenditur.

non modò in res ejus, quæ ſanè vita longè ſunt minores. Licitè ergo illas acquirere poſſum juſto bello: quòd ut naturali non repugnat juri; ita & ejus moderati effectus.

Modus habendi Dominii. Habendi Dominii modus, & Jus ſequitur. In hoc primum eſt; ſecuritas poſſidendi: quæ niſi omni ratione cauta eſſet; non poſſet conſtare proprietas, infirmum foret dominium, gravis ejus cuſtodia. Ergo talis videtur fuiſſe conſenſus, proprietatem incipientium; tale, ut dixi, præceptum divinum: ut non modò nefas eſſet, rem alienam concupiſcere, ſurripere, retinere; ſed etiam non indicare ſurreptam; & non efficere, quoad fieri poteſt, ut in ejus, cujus eſt, perveniat poteſtatem. Eòdem quoque pertinet: reſtitutio fructus, & commodi accepti, ex uſu rei alienæ. Eòdem refertur reparatio, & refuſio damni culpa dati, per quam Jus habendi violatur, dum poſſeſſor per eam, minus ſuo habet.

Poſſeſſionis ſecuritas.

Ejus violatæ reſtitutio, ac refuſio.

Liberè utendi facultas. Alterum Jus habendi Dominii, eſt Facultas utendi. Idque partim rem conſumendo, partim fructum ex ea capiendo. Uterque uſus pleno compe-

tit

tit Dominio; ita tamen, ut abusus societati noxii meritò vetentur. Inter quos eminet usura, seu potius fænus: quod ex illicito fructu pecuniæ percipitur; si nempe illa infructifera, seu ociosa sit; id est, si neque negotiationi, neque emptioni bonorum fructificantium, neque ulli industriæ serviat; sed deposita tantùm servetur. Talis si mutuò datur; non est cur fructum adferat: imò iniquum; ut cùm ipsa sit sterilis, ex indigentia proximi lucrum extorqueat. Nisi fortè ratione periculi, aliquid sit licitum exposcere. Ad abusum quoque pertinet rerum, quæ præsertim ad victum, avara detentio; idque ut ingravescat annona. Deinde, iniqua venditio, pretium ex penuria nimiùm augens, & avidè lucrum captans. Denique quidquid est inhonesti, & sordidi quæstus. Tertiò ad jus habendi refertur alienationis potestas: sed de hac dictum supra est.

Sed non abutendi in usura.

Ejus iniquitas.

Uti & aliorum abusuū.

Porrò etsi tam accuratè cautum sit Proprietati, & Dominio: tamen non penitus extinctam communitatem, eamque certis casibus redire, Primùm exinde apparet; quod in extrema necessi-

Ut vitam serves.

cessitate, ut vitam conservem, uti re aliena, extra controversiam liceat. Cum hac tamen cautione; ne plus sumam, quàm necesse sit: nec, si pari necessitate Dominus tenetur; & denique, cum onere refusionis damni, vel restitutionis, dum fieri poterit. Deinde, Civitati uti licet rebus privatorum, ob eminens Dominium, & salutis communis causa. Quanquam & hic à Concivibus debetur refusio, ut æqualitas onerum sustinendorum servetur. Postremò, & ea communia esse debent, quæ sine damno, onere, & molestia sunt dantis, aut permittentis, accipienti verò necessaria. Ut ignem, aquam profluentem, non prohibere: permittere transeundi, imò & morandi, innoxiam facultatem; emendi rem necessariam ab eo, qui ejus copiam exuberantem habeat. Et quæ talia solent afferri.

Licet uti re aliena.

Idem fas & Civitati.

Prohibere usum quorumdam nefas.

Restat explicandum, quomodo desinat Dominium. Desinit autem aut sublato Domino, aut præscriptione rei derelictæ. Domino è vivis sublato, qui nullam prolem reliquit; nec ullam Cognationem, nec ulli debet quidpiam,

Desinunt dominia sublato Domino.

piam, aut tenetur; nec denique condidit teſtamentum: naturaliter res redeunt in eum ſtatum, ac ſi non eſſent occupatæ. Niſi igitur lex Civilis aliter conſtituerit, erunt primò occupantis. Cæterùm adeò ſtabilita rerum ſuarum diſpoſitione, ut etiam ultra fata protendatur, conveniens admodum erit, exquirere conjecturas ultimæ voluntatis, eaſque prout æquitas ſuadet, adimplere. Si verò improlis quidem, & ſine Conſanguineis, & inteſtatus decedat; relinquat tamen familiam, & debeat, ac teneatur; tum Creditoribus, & obligationi imprimis erit ſatisfaciendum: ſervi ad libertatem redibunt; operis merces danda erit. Et ſunt, qui inter familiares dividendam Hæreditatem cenſent, cùm famuli ſterilibus ἀγενεαλογήτοις eſſe loco liberorum putentur.

Prolem non habente, & inteſtato.

Hæreditas talium vel occupantis.

Vel creditorum.

Vel familitii.

Qui genealogia carent.

Alter modus Dominii Deſinentis, eſt à præſcriptione, & re derelicta. Derelictio fit, dum quis profeſſus eſt, ſe rem nolle habere in cenſu rerum ſuarum; dum eam facto abjecit; dum uti noluit; & utentem non interpellavit; dum ſciens, præſens, nulla vi, aut me-

Deſinunt deinde præſcriptione, & re derelicta.

tu

tu adactus, tacuit; denique amissam recuperare contempsit, spem abjecit, vel ut recuperaretur, periculo graviori, utpote vitæ, se obiicere noluit; quod alter studio acquirendi fecit. Præscriptio verò, dum tempus longum intervenit, & Circumstantias Derelictionis, ac incuriæ palam comprobavit. Hæc Dominium transfert, & rei ab alio acquisitionem firmam reddit. Tempus autem Præscriptionis, pro instituto, varium. Longissimum censetur, quod memoriam excedit. Interest verò societati tranquillæ, Præscriptionem introductam esse: idque ad certa reddenda Dominia, ad lites & contentiones minuendas, ad stimulandam denique rerum suarum curam, atque diligentiam.

Tempus præscriptionis pro instituto. Ejusque necessitas.

Pars Capitis Tertia.

De Obligatione, Tertia Juris Specie.

JUris ultima species explicanda superest, nempe Obligatio. Cujus, inter homines necessitatem, non minùs quàm Potestatis, atque Domi-

Obligationis inter homines necessitas.

nii,

nii, invexit defectus Charitatis. Si hæc enim potuisset integra manere: alter alterum officio sine ulla flagitatione præveniret; nihil tamquam debitum à se mutuò exigerent; non obligatio, sed mutua esset Dilectio. Ex illa verò spontanea, & benevola manasset beneficentia: præsertim cùm minimè onerosa fuisset; imò vix fuisset, in abundantia rerum suapte provenientium. Sed diluto hocce Charitatis, ut ita dicam, glutino; quærendum fuit aliud: quo, cùm amore aut nollemus, aut non possemus adstringi; saltem ex debito ad invicem teneremur. Orta ergo est obligatio, non modò illa; quæ ex potestate & Dominio manat, sed varia insuper Promissorum, Juramentorum, Contractuum: quibus velut vinculis vincimur mutuò, & illigamur. Horum omnium fundamentum, & basis est Fides: de qua primùm dicam, & postea tres obligationum species explicabo.

Ut quos Charitas non vinciat.

Promissa, Juramenta, Contractus adstringãt.

Fides, est Concordia mentis & verbi, vera, constans, & efficax. Tria ex definitione ejus apparent requisita. Nempe Veritas in primis; non tam ea, quæ est Intellectus rectè cognitæ rei;

Horum fundamentum Fides.

Quæ definitur.

rei; sed potiùs in locutione veracitas: id est, sermo congruens menti, seu Intellectui; cui oppositum mendacium, seu contra mentem dictio. Exigit verò, non modo natura verbi; ut cum sit animi imago, verè eum repræsentet: sed etiam commodum Societatis; ita clausum pectus oratione aperire, ut tutò credere possimus; nec timeamus falli.

Ejus veritas.

Aliud requisitum fidei, est dicti Constantia; ut, quod semel locutus sis, fatearis semper te dixisse; & religio sit, declaratam inficiari voluntatem. Tertiò; ut dictum, effectum reddas: ut, inquam, pondus insit verbis, & vocem facta sequantur. Hæ sunt partes Fidei, quam natura ipsa, nescio quomodo nobis unicè commendat; exososque prorsus reddit ejus temeratores. Pueros vide; (inquit Lipsius) mendacium inter prima probra objiciunt: & quanquam levitate quadam assumunt, tamen judicii rectitudine damnant. Admiranda profectò Dei providentia: virtutem hanc, sine qua vita & societas stare ægrè possit, animo inserentis; & contrarium ipsi vitium, nempe perfidiam, evidenter ut plurimùm punien-

Constantia.

Effectus.

Et mira in nos vis.

Societati unicè proficua.

tientis. Itaque firmiter retinenda est, velut Sanctissimum humani pectoris bonum. *Itaque Sanctè habenda.*

Retinenda autem primò in Promissis. Promissum verò est; declaratio Voluntatis de futuro, certitudinem faciens adimplendi. Si gratuitum est; peccat quidem, qui ei non satisfacit, nempe mentiendo; non tamen facit injuriam, nec reposci potest tale promissum; nisi sit solennis verborum obligatio, aut testibus firmata stipulatio, aut manentibus signis, nempe literis, expressa. Talis enim demum Jus conferre videtur, quia deliberatæ est voluntatis; & cujus convinci promissor facilè potest. Promissa verò non gratuita, & quibus inest συνάλλαγμα, quin obligent, indubitatum est. Sed talia, jam Contractus erunt, de quibus mox dicam. Cæterùm, ut Promissum valeat, requiritur usus rationis in promittente. Deinde, nulla injusta per vim & metum adactio, facta ab eo, cui promittitur. Injusta inquam: nam quæ justo bello fit, obligat; quæ à latrone, invasore, fædifrago, periuro; minimè. Tertiò, ut materia sit (ut ita dicam)

Et primùm in promissis.

Quæ quatenus obligent.

Commutatio.

Eorumque requisita ostendūtur.

promiſſibilis; nempe non illicita: nam in tali ſcelus eſſet fides. Tum verò in noſtra Poteſtate ſita: nam ultra eam non tenemur. Et demum obtenta, non per impoſturam, aut falſa cauſa: ea enim deprehenſa, & ceſſante, meritò mutatur Promiſſum. Nam fraude, & dolo inducti, nihil promittunt.

Jurisjurandi obligatio.

Jurisjurandi ſequitur obligatio, definiturque; Affirmatio, Deum teſtem conſtituens, & ſi ſciens fallit, vindicem. Magna profectò ejus Auctoritas, quæ Divinitatem, & providentiam adſtruit; eſtque teſtimonium animæ, naturaliter, Deum punientem mala, agnoſcentis. Unde religio ejus meritò maxima eſſe debet; & temeratio non proximo tantùm, ſed Deo etiam, quem teſtem cupis, injuria. Cavendum ergo, ne aſſummatur, non modò in re falſa; ſed ne in levi quidem, & non penitus neceſſaria. Dupliciter autem juratur; nempe, vel aſſerendo, vel promittendo. Aſſertivum Juramentum, ut culpatus facti mei, vel proximi, teſtimonium juridicè perhibeam; neceſſarium & inevitabile eſſe debet. Minùs, ut rem vindicem, & præſertim

Ejus religio.

Aut est aſſertivum.

tim exigui pretii. Tum inquam, profecto justius est abstinere. Promissorium, nisi jure exigatur ab eo, cujus summè interest non decipi; ut plurimùm vitandum, studendumque vitæ probitate mereri, ut nec juratis credatur; & sit sermo noster, est, est: non, non: nam quod ultra hoc est, à vitio est. Ut verò validum sit Juramentum, & obligans; eadem ferè, quæ circa promissa dicta sunt, requiruntur. Nempe, ut Jurans mentis sit compos, & non fraude inductus; & ne res illicita, aut impossibilis esse, post præstitum Juramentum, deprehendatur. Præter hæc, inquam, impendimenta; & Jurandum est, prout ille, cui jure ac debitè juratur, requirit, ac intelligit; & quod juraveris, adimplendum. Sed si ab iniquo hoste, invasore, prædone, vi & terrore mortis, compelleris ad jurandum; quòd tum fas sit verbis ambiguis eludere, & arte aliqua jurisjurandi formulam immutare; probabiliter certè concedi potest. Quanquam laudati magis illi, qui se putarunt teneri, etiam metu extorto juramento, (in re tamen non illicita:) Non causa obligationis erga

Aut promissoriũ.

Si adsint requisita validi juramenti.

Jurandũ sincerè, & quod juraveris, adimplendum.

Extortũ juramentum eludere fas.

Laudati, qui illud in re licita adimplent.

iniquum Exactorem : (per injuriam enim nihil sibi ille juris acquirere potuit :) sed advocati testimonii religione.

Definitur contractus. Tertium genus obligationis est, Contractus. Definitur: Conventio duorum aut plurium, quid pro quo sibi tribuens, reciprocæ utilitatis causa. *Qui triplex.* Contractuum genera triplicia sunt, quæ in tribus illis formulis : do ut des, do ut facias, facio ut facias, continentur; Nempe dum res pro re; vel pro re, opera : vel pro opera, opera itidem rependitur. Ad hæc; omnes species Conventionum, tam privatarum quam publicarum, commodè referri possunt. *Ejus validitas.* Ut verò valida sint, eadem ferè requiruntur, quæ de promissis ac Juramentis dicta sunt. *Et requisita.* Hæc tamen addi solent : primùm in Contractu do ut des; ut indicium fiat occulti vitii, rei furtivæ, malo vel incerto Jure possessæ; servi fugitivi: Tum ut iniquum pretium, ob indigentiam proximi, avarè non exigatur. Quanquam per hoc peccari quidem potest, sed vix Jus vindicationis competere. Nam modus licitationis, uti & æstimatio, ab affectu in rem, à tem-

à tempore, à copia pendet, & continuò variabilis est. Inde Conventio Æqualitatem rei, cum pretio decernit: & si culpa, fraus, dolus abest; jure rescindi non potest. Eadem ratio est, dum intercedit do ut facias; vel facio ut facias. Merces enim, & mutua opera, aut officium, itidem ex Conventione, & consensu partium pendet. Etsi ergo Æqualitas, aut certè Proportio, videtur requiri in Contractibus; attamen profectò standum est, prout convenit, & pactum intercessit; modò absque dolo malo, & ex fide bona.

A licitatione, & conventione mutua pendet.

Et standum prout convenit.

Habes nova hactenus, sed puto non incõmoda partitione, explicatum compendium, & synopsim Juris. Accuratior verò ejus tractatio, etsi ex hisce fontibus, facilè deduci posset; tamen non est argumenti à me instituti. Et sunt, qui hæc abundè, & plus satis præstiterunt. Mihi verò mens fuit ostendere, quatenus Jus constitutum, temperet iis, quæ potuissent penitus Charitatem inter homines extinguere; si prout necessariò introducta fuerunt, ita ad libitum retenta, vel exercita fuissent. Quoniam autem illud ipsum Jus, si strictè nimis

Hæc est nova synopsis Juris.

Consultò paucis explicata.

 suma-

sumatur, exigaturque; longè potest à Charitate abducere; ideò hujus Tractationis merito ponendum est.

CAPUT III.

In quo ostenditur temperamentum summi Juris per Charitatem. Idque Admonitione, Consilio, & Exemplo Christi.

Summũ Jus summa crux.

VEtus enim illud, & tritum sermone proverbium: summum Jus, summam esse injuriam. Causa dicti: Quod tria illa; nempe, Potestas, Dominium, & Obligatio, tàm largè & copiosè, jure concedantur; ut facillimè eorum specie ac obtentu, extrema multa contra Charitatem committi possint, citra pænam, & vindictam. Pronum autem est genus humanum indulgere sibi; & quæ permittuntur, velut laudata ampliare. Hinc leges iniquæ sæpè conditæ, quæ licentiam potiùs augerent, quàm Jus constituerent. Hinc earum Interpretatio prava; hinc consuetudines quæcunque modò inveteratæ pro legibus.

Et causa dicti exponitur.

Exempla hujus licentiæ passim sunt

ſunt. Nam Poteſtas primùm, tam ſeverè, avarè, arroganter, & ſuperbè exercetur; ut qui parent, vix putentur hominum vice. Gemit genus humanum ſub onere iniquæ dominationis: & rari ſunt admodum, qui in illa cogitent, quid debeant; ſed tantùm, quid poſſint. poſſe autem exiſtimant, quidquid hic per leges impunitum ipſis eſt. Nam de Deo vindice, non eſt qui cogitet corde. Cùm verò tantum citra metum pœnæ Poteſtas obtineat; quid mirum, ſi dominatus & imperia credantur humanis majora bonis? ſi per vim & bella quærantur? ſi obſequi & juberi, inter miſerrima cenſeatur? Si denique Jus, Poteſtatis præſertim, ita auctum, injuria putatur? Illudque velut jugum excutere, & libertatem ferro quærere, illuſtre cenſetur, & glorioſum?

Poteſtatis abuſus oſtenditur.

Unde aviditas imperandi.

Et parẽdi detrectatio.

Rerum Dominium Avaritia corrupit: quæ ſummo Jure exerceri extremè poteſt, nullo pænè legum auxilio, quæ adeò proprietatem, juſque habendi firmarunt; ut beneficentiæ, quam Charitas ſuadet, non ſit locus. Ita occupatio, ac poſſeſſio rerum, avidè ac tenaci-

Dominiũ avarum.

naci-

Furta provocat. naciter exercita, furta & rapinas provocat, & alienum appetere jubet.

Postremò, Obligatio tantum legibus concessa invaluit; ut ejus velut indagine clausi teneamur. Laquei ubique & vincula Contractuū, aut captionum: è quibus vitilitigium; & vafra, ac perdita causidicina. Adest enim Creditor, aut Fænerator potiùs; tum manceps & sector, qui in Jus rapiunt, & nulla remissione miserè enecant. Ita acerbè, & acriter flagitata obligatio; subdola effugia, perfidiam, ac perjuria creat. Quæ cuncta, quin longè remota sint ab illa, quà invicem teneri deberemus, charitate; nemo est, qui negare possit.

Obligatio stricta nimis.

Effugia curat subdola.

Meritò itaque nova lex, & Institutio Christi; quæ non venit solvere hæc Juris vincula; sed perficere: Meritò inquam exigit, præcipitque ut omnia fiant in Charitate. Et primùm docet, Moderationem adhibendam esse; ne, quæ licita sunt, putentur omnia expedire. Deinde suadet, decedere quandoque de jure suo, aut se eo penitus privare, ut exactiùs Charitas impleatur. In primo est Admonitio; in altero Consilium. Illud ab omnibus requirit nominis Chri-

Hæc cuncta lex Christi temperat.

Et sæpe charitatis causa abdicat.

Christiani professio, hoc à paucis perfectio. Utrumque per singulas Juris partes explicabo; & officia, quæ hinc emanant, deducam.

Pars Capitis Prima.

De Temperamento Potestatis.

OStensum est libri hujus initio, defectum Charitatis causam juris extitisse. Cùm hæc ergo gratia Christi reparatur; profectò necesse est, ut renovet dotes sibi proprias: iisque, quantùm fieri potest, Jus constitutum moderetur, ac temperet. Dotum autem harum prima est Æqualitas: hanc itaque Potestati in memoriam meritò revocat. Meritò, inquam, nam ratio dictat ipsa, quòd ea, quæ sunt ejusdem speciei, æqualia sunt ad invicem, & ὁμοούσια: quæ potissima, & suprema Æqualitas est. Ut igitur aurum auro, ita homo homini natura par est. Par verò etiam, non modò ab eodem ortu, & satu primi Parentis; sed quod longè majus est, ab æquali Regeneratione per Christum. Si enim Propheta dixit: nunquid non Pater unus omnium

Gratia Christi revocat dotes Charitatis. Et primùm Æqualitatem.

Consubstantialia. *Quæ plures ob causas debita nobis.*

Sed præcipuè ob

regeneratione per Christum.

nium nostrum ? nunquid non Deus creavit nos ? quare ergo despicit unusquisque fratrem suum ? Quantò magis nobis unus Dominus, unus Deus, qui dixit: Patrem nolite vobis vocare super terram; unus enim est Pater vester, qui in cœlis est; vos autem fratres estis. Unum corpus nempe, unus spiritus; sicut vocati sumus in una spe vocationis nostræ. Unde illa recentis Ecclesiæ fraternitas, & communio; per quam erant pariter omnes conjuncti, imò & uniti; cùm illis esset cor unum, & anima una.

Unde fraternitas primitivæ Ecclesiæ.

Hujus itaque novæ æqualitatis, in omni Potestate oportet meminisse: si prout sumus nomine; ita & re ipsa, esse volumus Christiani. Hæc nos docebit: supportare invicem in Charitate. Hæc monstrabit officia, tam his, qui regunt, quàm qui reguntur. Hæc naturalem Potestatem perficiet: dum & quos Deus conjunxit, vetabit separari: & Parentes ἐυςοργȣ͂ς efficiet. Hæc, Potestatem in servos; juxta monita, quæ ad eam dicta sunt, exercebit. Hæc denique Imperium temperabit, exactè adimplendo, quæ ad illud spectant. Ita; mode-

Cujus decet meminisse.

Prolis amantes.

Ab illa enim temperamentũ omnis potestatis.

moderatio constabit omnis Potestatis, ab æqualitate per Charitatem : quæ est æqui & boni consummatissima regula.

Ea verò ut tantò meliùs exerceri possit; prætulit Christus obedientiam Gubernationi, famulatum dominatui, obsequium imperio. Prætulit autem causa primum, & ratione. Nam dum omnem animam Potestati subdidit; hoc ipso facillimum officii compendium, securam recti normam, unicum erroris effugium dedit: nempe obsequi libenter; & parere, cui subjectus jure sis. Reddat rationem rectè an secus facti, cui Jus delatum jubendi: sic obsequii meritum, securum & ασφαλιο manet. Prætulit deinde idem, & exemplo. Nam etsi illi data esset Potestas omnis in cœlo, & in terra; tamen noluit ministrari, sed ministrare: regnum fugit: formam servi assumpsit, factus obediens: & quod ipse fecit; faciendum monstravit. Reges inquit gentium, & qui Jus aliud Potestatis habent, dominantur: *Vos autem non sic*: Sed si & Consilium meum, & Exemplum placet; qui major est vestrum, fiat sicut minor.

Cui prætulit Christus obsequiū.

Idque ratione.

Erroris expers.

Et exemplo.

Quod perfectioribus proposuit. Istud verò re ipsa implere; id est subjici velle, & defugere omnem Potestatem; etsi tantùm est perfectiora sectantium, iisque hoc suadetur: Attamen ad omnes certè, qui præsunt, pertinet; meminisse hujusce exemplaris: *Merito ab omnibus spectandum.* illud identidem respicere, illi aptare actiones, & hinc consummata officia petere cujuscunque potestatis. Non est enim ut rectè gubernet; nisi qui paratus sit gubernari. *Ut impleatur officium gubernandi.* Talis enim sciet: officium esse, Regere; non præmium: Dominationi definitam esse à Deo, & natura legem: Summam potestatem manasse ab instituto; hoc verò bono parentium, non commodo gubernantium ortum: Onus esse hocce munus. Omne, sub Regno graviore, Regnum esse. Reddendam ejus rationem. Itaque habendum Jus Potestatis temperanter: Nec homini homine abutendum. Deinde, idem docebit; parendum etiam Potestati. Hoc utile; hoc tutum; hoc, vel non onerosum volenti; vel si sit, majoris meriti. Hoc demum errori non adeò obnoxium, & in reddenda ratione minùs grave.

Pars

Pars Capitis Secunda.

De Temperamento Dominii rerum.

PRrout ad Temperamentum Potestatis, Charitas utitur Æqualitate; & hac ejus velut mensura, æquum Jus gubernandi constituit: Ita ad moderationem Dominii dotem alteram adfert, nempe Communitatem: eamque, quantùm fieri potest, suadet revocare. Idque jure merito. Nam quemadmodum in corpore humano, si membra singula, ad se valetudinem membri proximi traducerent: exempli causa; si hepar, aut lien, plus attraheret succi, quàm necesse sit; debilitaretur totius corporis valetudo: ita si unusquisque nostrum avidè rapiat ad se, quæcunque jure non vetante potest, commoda; nec ea cum proximo communicet; societas humana multùm turbetur necesse est. Utile ergo generi humano Proprietatem, quoad fieri potest, temperare Communitate.

Gratia Christi cōmunitatē suadet.

Ostenditur id ex ratione.

Cùm autem hoc suadeat ratio, quam adduxi; suadet certè multò magis Christi

Tum ex consilio,

exemploque Christi. sti Consilium, Exemplumque. Nihil enim ipse, ut proprium possedit: possidere suis intimis vetuit: Abdicare, & dispertiri cuncta suasit: Præmium pollicitus id facientibus ingens: Pœnam comminatus gravem avaris: Impedimenta maxima dixit esse divitibus: quæ omnia uberiùs, dum de Abrenuntiatione agam, explicabo.

Secuti verò sunt id primi illi, & recentes à Magistri schola discipuli: cùm nempe in primitiva illa Ecclesia πάντες ἔχον ἅπαντα κοινὰ, cùm possesiones vendebant & dividebant, prout cuique opus erat: Cùm nullus eorum, quæ possidebant, aliquid suum esse diceret: Cùm denique ita communibus facultatibus uterentur; ut nec quisquam egens inter ipsos esset. O vitam felicem! quietam! Sanctam! curæ, sollicitudinis, dissidii expertem! Securi autem ac moderati usus rerum compotem! O vitam inquam sublimem! & quanquam non omnibus suasam, nec in hac depravatione morum præstandam; tamen meritò à cunctis suspiciendam! & velut speculum quoddam proponendam! Ad hoc etenim si nos componamus

Omnes habuerunt omnia cõmunia. *Quod sæculi primi Christianorum.*

Quod omnes meritò debent suspicere.

mus, manabunt exacta officia, rerum dominii rectè exercendi.

Et primùm, acquisitio ejus temperata erit: non nimia, non avida, nec plus concupiscens, quàm capere possit: nec omnia sibi rapiens, sed quæ ultra veram necessitatem sunt, proximo relinquens. Deinde in habendo tenacitas, & avara parcitas cessabit: benefica verò & prudens erogatio, non patietur quenquam inopia perire. Denique amissio Dominii non te plus æquo anget, nec torquebit: & quæ non inhiante animo possederis, securus, cùm fortuna volet, dimittes; aut potiùs reddes. Violatio verò Dominii nulla prorsus erit. Nec Charitas jus suum cuique integrum relinquens, & severè abstinentiam alieni imperans, permittet, aut patietur; ut damno aliorum, res & facultates nostras augeamus.

Hinc enim moderata acquisitio dominii.

Et usus.

Et quandoq; derelictio.

Nulla verò violatio.

Pars Capitis Tertia.

De Temperamento Obligationis.

AD moderandam inter homines onerosam, odiosamque obligationem; Charitas advocat ter-

Immunitatem restituit.

Charitas per Christi gratiã. tiam, quam posueram, dotem suam; nempe Immunitatem. Ut scilicet homines solo tantum vinculo mutui amoris nexi, cætera liberi, quantumque fieri potest, soluti sint ad invicem. Ut sit nempe Obligatio, quam non externa necessitas flagitet; sed ultro benevolentia sibi imponat, & præstet.

Hæc obligationi sponte satisfacit. Hac tantùm Apostolus omnium se debitorem fuisse ultrò professus est: sequitur exemplum Magistri; qui se impendit nobis, non quòd teneretur, sed quia ipse voluit. Nemini ergo quidquam (inquit Apostolus) debeamus, nisi ut invicem diligamus. Hæc est lex *Hæc cuncta adimplet.* officii apud bonos; omnia vincula juris, omnem nexum promissi, juramenti, ac Conventionis longè superans, fortiùsque adstringens. Hæc eximia Charitas Christi, urget optimum quemque, proximo benè velle; & officia erga *Superat promissa.* eum implere fide bona. Hæc jubet, nil acerbè exigere; nil flagitare molestiùs; nil etiam velut coactè præstare: sed dictum, effectum; sponte, ac libenter reddere: probitatem ὅρκε πιςώτεραν ha- *Juramẽto certiorẽ.* bere; certitudine satisfactionis super- *Juramenta.* fluas facere cautiones, sponsiones, chirogra-

rographa; aliaque, quibus res anxiè conſtitui, inter ſibi diffidentes, ſolet. Hæc, (ut cum Cicerone dicam) in omni re contrahenda, vendendo, emendo, conducendo, locando, in vicinitatibus & confiniis, æquum & facilem; aliquid de ſuo jure concedentem; à litibus verò, quantùm licet, & paulò plus etiam quàm licet, abhorrentem eſſe jubet. Hæc denique in omnibus, quæ ſummi juris ſunt, ſuadet temperare. Ut nempe redeat, quantùm poteſt, prima illa Charitas, quam ſtatus innocens, & incorruptus habuiſſet.

Contractus.

Hæc litigio abſtinet.

Ut redeat innocentia.

Ut verò redire poſſit; quoniam maxima perturbatio officiorum eſſe ſolet ab eo, quod utilitatis, & voluptatis ſpecie blanditur nobis, & imponit: ſtatuendum omnino ſemel, firmiterque decernendum eſt; nil homini utile, ac jucundum eſſe, quod non honeſtum: nec honeſtum, quod non utile ac jucundum ſit. Nulla enim major, & perniciosior peſtis vitam hominum invadere potuit, quàm neſcio cujus falſæ utilitatis, voluptatiſque æſtimatio; & ab honeſto utriuſque ſeparatio. Hinc ambitus, & avaritia, hinc flagitia, fraudes,

Honeſti voluptas vera, utilitaſque agnoſcenda.

des, perjuria, insidiæ, rapinæ, furta. Hinc quidquid est violandi juris, & societatis humanæ detrahendæ.

Quæ ab invicē separari nō posse demonstratur.

Atqui vel ratio ipsa docet, commodum ac volupe non posse ab honestate secerni. Nam si id homini honestum, quod naturæ ejus rationali unicè congruit; idem profectò & bonum ejus necessario erit: Si autem bonum; certè & utile, jucundumque erit. Idem ergo est honestum, & verè utile, ac jucundum. Deinde, si nihil magis contra naturam, quàm turpitudo; nihil autem magis secundum naturam, quàm vera utilitas, & vera Voluptas; profectò idem verè utile, verèque jucundum, simul & turpe esse non poterit.

Id maximè decet Christianos profiteri.

Hæc autem sic à Cicerone disceptata; & à veteri Philosophia, sine certitudine immortalitatis, sine spe futuri præmii, sine metu extremæ pænæ, ex sola consideratione veri, ac decentia virtutis agnita, ac præcepta: quantò magis nos concernunt Christianos! vitæ æternæ securos, & aut mercedis, aut supplicii magnitudine meritò excitandos, terrendosvè? Quantò, inquam, magis nos decet, fucatam hanc, falsamque uti-

utilitatem, ac voluptatem aspernari; & spe futuræ, veræque felicitatis contemnere! Quid enim prodest homini mundum lucrari, & animæ detrimentum facere? aut quæ commutatio falsæ brevisque voluptatis, cum jactura illius, quæ nos olim vera & immutabilis manet?

Deliberari in electione recti turpe.

Itaque non flagitia modò viro bono fugienda; etsi illa emolumentum, aut oblectatio apparens commendet; sed etiam illa deliberatio: an levi saltem; vel, quæ dubia videatur, culpa, deserendum sit officium, sectandi commodi, aut voluptatis causa? In tali enim deliberatione facinus inest: nec unquam ea sunt deliberanda, in quibus ipsa deliberatio turpis est. Ut ergo dubitare, quid rectum sit, virum bonum non decet; (id enim natura apparet:) ita multò magis quæ dubitet, nefas committere.

Uti & famæ tātū, aut pænæ causa illud retinere.

Denique cum pauci sint, qui delicti ignoratione, ac impunitate proposita, abstinere velint injuria; pluresque famā & pænam, quàm Conscientiam vereantur: Ideò, ad firmandum animum hic murus sit aheneus; hæc lex interna vitæ innocentis: nil conscire sibi; & non ullo respectu, imò nō necessitate, nō ele-

ctione; sed omnino natura, usu, & consuetudine bonum esse. Ita enim demum ultrò & facilè implebimus officium quod Charitas dictat.

Ostēditur charitatis officia exactè tractata esse. Jam verò ut ostendam, quæ dicenda de Charitate proposueram, cuncta me absolvisse; revocanda est definitio ejus, & dictis applicanda. Cum ergo definiverim Charitatem; esse Propensionem animi erga proximum benignam, benevolam, beneficam: ita eam partitioni Libri hujus attribuo. *Nēpe benignitatē potestati.* Propensio benigna, propriè pertinet ad Potestatem; cui annexæ virtutes: Clementia, Modestia, Comitas, aliæque quas ὁμιληθικὰς Aristoteles vocat: Conversativas. & quæ æquant, qua possunt, inter se homines, etiamsi jure Potestatis impares, & inæquales. *Benevolētiam obligationi.* Propensio benevola danda est Obligationi; quæ sponte omne debitum supplet, prævenit, superat; & virtutes huic fini proprias habet: nempe Fidem, & καλοκἀγαθίαν seu libenter se cōmunicantem bonitatem, non curantem quæ sua sunt, modò satisfaciat illi, quod sibi ipsa imponit, officio. Eximiam probitatē. Propensio denique benefica ad Dominium rerū spectat; quæ efficit ut sint τὰ τῶν φίλων κοινά: utiturq; virtutibus eò pertinentibus, & *Beneficentiā Dominio attributam.* Omnia amicorum cōmunia.

ava-

avaritiæ adversis. Quæ omnia partim in dotibus primitivæ Charitatis; partim in juris constituti effectu; partim deniq; in tẽperamẽto ejusdẽ, tribus prout promisi Capitibus, ostensa sunt, atq; demõstrata.

Appendix Libri Secundi.

De Amicitia.

POst deductum, explicatumque Charitatis munus, supervacaneus forsan hic Tractatus de Amicitia videri poterit; eò quòd per illam, (inquit Cicero) adeò contracta est res, & adducta in angustum; ut omnis Charitas aut inter duos existat, aut inter paucos: Dilectio verò Christiana diffusa (ut Apostolus ait) in cordibus nostris, angustias istas minimè patitur, & se extendit ad omnes. Attamen cùm hæc tam universalis, præter conatum & bonam voluntatem, vix ferè aliud præstare possit; Ea verò quæ cum paucis intercedit, faciliùs frequentiùsque implet officium: Ideò non abs re erit, celebre hoc amicitiæ munus, & nomen, non præterire; &, Appendicis saltem loco attexere, quæ de illa præcepta traduntur. Ita &

Explicata universali charitate

Amicitia etiã, quæ inter paucos, meritò tractãda.

Chriſtiana illa eximia Charitate, (quæ omnibus omnia:) imbutus animus, voto & ſtudio dilatabit viſcera ſua; quotieſque fuerit modus, factis exeret: Et per amicitiam, ex tota, quam amare tenemur ſocietate, generis humani, ſecernet ſibi quoſdam conjunctione, ac Conſuetudine magis intima. Ut fructū nempe mutuæ dilectionis, quem nec facilè præſtare cunctis, nec ab omnibus habere exactè poteſt; à paucis ſaltem plenè capiat, jiſdemque viciſſim rependat.

Definitio ejus.

Amicitiam itaque definio: ut ſit mutua, ac benevola animorum ſibi ſimiliū in bono conſenſio. Ex definitione hac & origo, & proprietas ejus vera patet.

Origo ex ſimilitudine.

Origo enim; eſt ſimilitudo animorum: cùm nempe ingenio, judiciis, moribus denique congruimus; tum facilè ſuam quiſque naturam in alio diligit, & ut cō. pari gaudet, fruiturque. Nil verò eſt hac cōsēſione jucūdius; nil quod illiciat, quod ad ſe attrahat, imò quod rapiat magis.

Conſervatio ex virtute.

Conciliatrix itaque amicitiæ eſt ſimilitudo: ſed haud firma ac diuturna, niſi accedat proprietas in definitione poſita; ut nempe, ſit in bono. Ut enim ſimilitudo gignit amicitiam; ita profectò

ctò virtus sola eam educat, continet, conservatque. Unde certum est, non posse eam veram esse, nisi inter bonos.

Si enim ex similitudine vitiorum, aut criminum oriatur; ea non amicitia erit, sed factio, conspiratio, sceleris societas: & exinde brevis tantùm, temporis, & necessitatis causa, inita conjunctio; per quam cupiditatum vicissim ministri, & adjutores fieri possunt; verè amici nullo modo possunt. Quin imò, infida hæc improborum consensio, quam non amor, sed facinus jungit & æquat, in acrem discordiam facilè mutatur. Nempe, dum scelus admittunt, superest constantia; eo peracto, incipiunt invicem abhorrere, & se mutuò odisse. *Non potest esse inter malos.*

Si deinde amicitiæ proveniant ex utilitate tantùm, commodo, rebusque externis; & si eatenus colantur, quantùm prosunt: Ejusmodi primùm instabiles sunt, & infirmæ: dum; quod utilitas conglutinat, eadem commutata, ac cessans, dissolvit. Deinde, subdola simulatione tectæ, & fiduciam mutuæ benevolentiæ non habent; & omnia semper iis suspecta, & suspensa: denique vel in occultam invidiam, vel æmulationem ac contentio- *Nec utilitate sola constat.*

tionem apertam;ac demum in dissidium vertuntur. Tales plerumque sunt forenses illæ, ac fucatæ familiaritates.

Nec lenocinio consuetudinis.

Si denique ex vano lenocinio Consuetudinis; ac consectatione, communioneque eorundem, sed levium inanium que studiorum ineantur: Fastidium mox sui, nullo firmo nixæ fundamento adferunt; & amicitiæ nomen non merentur; sed sodalitii levis, sola conversatione, non autem amore vero sociati.

Denique non est nisi inter bonos.

Necessariò itaque consequitur, ut inter bonos tantùm sit Amicitia. Primùm; quia Amor amicitiæ parens est, Amoris autem causa, bonitas vera. Deinde; quia dotes Charitatis, quas hoc libro deduxi, bonis tantùm insunt. Denique, quia viri boni causas dissolutionis, ac dissidii non habent; quas vitia, & potissimùm Avaritia & Ambitio adferunt, pestis utraque amicitiæ. Ideoque soli eam colere summa Fide, Charitate, Constantia, Justitiaque possunt. Atque ita præceptis opus non esset, si inter verè bonos amicitia esset. Sed cum vita hæc communis, in qua versamur; & Conditio humana, adeò non habet verè & perfectè bonos; ut optimus ferè censendus

Verè tales præceptis nō egerent.

dus sit, qui minimè malus: Ideo viros eximiè bonos voto expetere; quales verò sors communis fert, oportet recipere. Itaque constituendæ, colendæ, retinendæ; & (si ita aliquando vera necessitas tulerit;) deponendæ amicitiæ præcepta proponam.

Sed in vita communi egent.

In constituenda Amicitia Judicium exactum requiritur. Illud enim dictabit. Primùm; amicorum delectum: ut capias nempe probos, similes tui, seu pares; tùm verò opportunos. Moram deinde; ut ingrediaris, non irruas in Amicitiam. Crescat lenta consuetudine benevolentia. Et, quod proverbio tritum est: multum salis consumas, antequam arctè contrahas. Firmum denique Propositum; ut amicitiam, quam studio perspecto, & consuetudine adjuncta susceperis, constanter conservare statuas.

Præcepta Constituendæ amicitiæ. Primum, judiciũ. Mora deinde. Firmum demum propositum.

Ad colendam Amicitiam, primùm facit vicissitudo officiorum. Quæ mutuò, & libenter sunt impendenda, iisque se vincire decet, & arctiùs adstringere; sed cum hoc monito: ut officium sit, ut dicitur, ad aras tantùm. Et hæc lex in amicitia sanciatur: ut neque rogemus res malas, inhonestas, iniquas; neque faci-

Præcepta Colendæ amicitiæ.

faciamus rogati. Virtutum enim ſchola, ac Palæſtra eſſe debet amicitia, non vitiorum officina; Mater & Nutrix Probitatis, non Cupiditatum miniſtra. Alter amicitiæ cultus, eſt Beneficentia; quæ opitulatur, & rem confert. Eam verò nec flagitare decet; nec ut flagiteris, expectare. Promptè & ultro deferri debet: Et propenſiores eſſe debemus ad largiendum, quàm ad repoſcendum; ut hæc inter bonos honeſta ſit certatio, uter alterum benefaciendo ſuperet. Tertiò coluntur Amicitiæ, conſenſione voluntatum, ac Judiciorũ. Nam cùm Amicitiæ vis ſit in eo, ut è duobus unus quaſi animus fiat; id obtineri profectò non poteſt, niſi omni diſſenſione inter amicos ſublata. Ea verò ut tollatur; aperire ſibi mutuò amici debent pectus purum, candidum, ſimplex: &, ut judiciis conſentiant, ſociare vitæ conſilia; eaque fidenter, & dare, & expetere. Cæterùm cavendum eſt, ne ex aſſentiendi conſuetudine, aſſentatio, quæ vitiorum adjutrix eſt, ſubrepat, imponatque nobis. Et, ne cenſura locum ſuum in amicitia amittat; quem profectò obtinere debet. Nam

Et beneficentia.

Ex conſenſione voluntatum.

Sed ſine aſſentatione.

mone-

monere, & moneri; proprium amicitiæ. Alterum ingenua quadam, non acerba, nec aſpera facere decet libertate: alterum, non repugnanter, ſed benignè acceptare; & non aliter, quàm dum ſeipſam mens admonet, atque redarguit. Itaque ſicut rigor nihil indulgens; ita adulatio, procul ſit ab Amicitia: quæ conſtans, & una ſemper, nil patitur varium, & fictum. Nihil verò poteſt eſſe tam flexibile, tam devium; quàm animus ejus, qui ad alterius non modò ſenſum & voluntatem, ſed etiam vultum, nutumque convertitur.

Et cum cenſura prudenti.

Quæ deſcribitur.

Superſunt præcepta retinendæ, ac conſervandæ conſtanter amicitiæ. Difficillimum enim eſt, eam ad extremum uſque diem perducere; & tam multa ei impendent, ut ea ſubterfugere, non modò ſapientiæ, ſed etiam felicitatis res eſſe videatur. Retinetur tamen, primùm conniventia, & diſſimulatione levium vitiorum. Dum, quemadmodum Parentes liberis modica ignoſcunt; nævos eorum vel ipſi non vident; vel coram aliis tegunt; non acriter de ingeniis eorum judicant, ſed ſæpe aberrant ex amore: Ita & nos, vellem, in amicitia

Præcepta retinendæ amicitiæ.

Connivere ad levia vitia oportet.

Et bona interpretatione lenire.

citia ſic erraremus ; & iſti Errori nomen virtus poſuiſſet honeſtum . Non damnare, inquam, amici mores oportet; ſed quandoque benigna interpretatione lenire. Exempli cauſa. Parciùs hic vivit; frugi dicatur. Plus æquò liber; rectus, fortiſque habeatur. Iracundior eſt paulò; acres inter numeretur. Profectò hæc res & jungit, & junctos ſervat Amicos. At nos virtutes ipſas invertimus. Probus quis nobis cum eſt; multum demiſſus, & abjectus dicitur; pro bene ſano, ac non incauto, fictum aſtutumque vocamus; ſimplicior quis? Communi ſenſu planè caret, inquimus. Eheu! quàm temerè in noſmet Legem ſancimus iniquam. Nam vitiis ſine, nemo naſcitur; optimus ille eſt, qui minimis urgetur. Vitia, inquam, erunt, donec homines. Sed neque hæc continua: & ſufficit, ſi meliorum interventu penſantur. Statuenda itaque eſt, & appendenda velut libra, ac ſtatera quædam: in qua, ſi vitiis amici, bona præponderant; affectu erga eum inclinemus, idem & Nos ab eo habituri. Atque ita libratis, & toleratis utrinque moribus, facilè amicitia retinebitur. Eòdem facit; tem-

Contra quam facimus.

Iniquè damnando.

pestivè

pestivè prævidere alia, quæ amicitiæ evenire solent, incommoda. Dirimit enim eas sæpe ingenii humani, morumque mutatio, quam ut plurimùm fortunæ vel prosperæ, vel adversæ adfert varietas. Tum verò etiam; cùm incidit tempus, ut non idem utrique amicorum expediat. Denique aliquando satietas quædam capit: cùm omnia inter se profudere; & nihil est reliquum, quòd à se vicissim expectent, requirantve. Hæc talia, inquam, maturè sunt prævidenda; & contra ea, paranda in animo præsidia constantis benevolentiæ. Quam ipsi ultro, primique adferamus; securi mutuæ vicis. Nam hoc profectò philtrum amicitiæ: ut si velis amari, primus ames. Contra quam faciunt plerique; qui perversè, ne dicam impudenter, amicum habere volunt, quales ipsi non sunt.

Providere tempestivè opus amicitiæ incommoda.

Quæ recensentur.

Amoris illicium amor.

Quod si tale quid evenerit, ut necessariò continuatio, ac velut cursus amicitiæ sistendus sit; Tum verò danda est opera, ne in odia discordiamque desinat. Consuetudo potiùs conjunctioque, quàm benevolentia cesset. Dissuendæ amicitiæ magis, quàm discindendæ; extinguen-

Præcepta Deponendæ amicitiæ.

tinguendæ, non opprimendæ: & denique familiaritates sint depositæ, non inimicitiæ susceptæ.


Concluditur hic locus.

Hæc ferè sunt, quæ ex Cicerone potissimùm, sed in ordinem certum redacta, de amicitia dicenda habui. Cæterùm, cùm ea sit amicorum raritas, quam perhibet authoritas veterum, vix aliquot paria veræ amicitiæ numerantium: Ea verò sit ejusdem, non utilitas necessitasque tantùm, sed suavitas etiam ac dulcedo; ut verè eam, hujus vitæ unicum condimentum ac delicium, vocare possis: Profectò tanto majori cura studioque procuranda, colendaque est; & censendum, miserrimam omnino vitam ejus esse, qui nec diligat quenquam, nec ab ullo diligatur: Contra verò, beatam ejus, qui habet, cum quo fruatur prosperis rebus, & adversas mutua ope ferat.

Cum ad hortatione.



LI-



LIBER OFFICIORUM TERTIUS.

De Pietate.

Pars tertia Officiorum Pietas.

Artes duas Officiorum, quoniam puto me ſat luculenter (pro captu quidem meo) libris ſuperioribus abſolviſſe; reſtat ut explicem tertiam de Pietate. Hæc verò tantò major, ſublimiorque eſt duabus primis, quantò altius habet argumentum, id eſt Deum. Hactenus enim Officia ferè ducta ſunt, quæ vel Natura ipſa, ſeu recta ratio (quanquam & hæc dum talis eſt, à Deo eſt;) dictaret, mõſtraretque: nunc verò explicanda reſtant, quæ Naturæ ratiocinantis captum longè ſuperant; & ſicut præcepto, ita auxilio Dei propriè nituntur.

Major duabus primis.

Quia directè Deũ petit.

Meritò itaque illum, qui ſe noſci, coli,

amari à nobis exigit, invoco: ut ea, quæ generi humano de hoc debito sibi officio edixit, inspiravitque; quamvis à multis ubertim, & copiosè dicta, ego quoque methodo, & nova, & brevi explicem ad gloriam ejus. Illustra ergo mentem meam, ò lux vera; ut aliquid te dignum & videam ipse, & aliis aperiam.

Definitur Pietas.

Et dividitur.

Sed ne longiori Præfatione te moret; prout soleo, ordior à definitione. Pietas, est Officium, quod genus humanum tenetur præstare Deo. Id autem in tribus consistit. Primum: Deum, quà potest, & debet, nosse. Deinde, eundem certo, & congruenti cultu venerari. Postremò: eum solum amare. Hæc tria explicanda mihi deinceps; totidem Capitibus propono.

CAPUT I.

Περὶ θεογνωσίας, *id est, De Notitia Dei.*

Latè patet Dei notitia.

ADeò quidem latè patet hæc de Notitia Dei dissertatio; ut vel totam Theologiæ scientiam posset occupare. Sed cùm non tam Contempla-

templatio, quàm actio, ad Officia Pietatis, de quibus hic agemus, pertineat: ideò relicta τοῖς θεολογουμένοις, plena tanti argumenti tractatione; quæ ex usu de illo scire sit, in compendium redigam.

Sed ad officii modum redigetur. Theologis.

Est verò notitia hæc prorsus generi humano necessaria; est animorum salus, fidei mutuæ præcipuum vinculum, lex vitæ; & quid in illa agendum, vitandumque sit, suprema regula. Cuncta enim hæc constare non possunt; & perturbatio officiorum sequeretur, Dei ignoratione: quando profani etiam Poetæ dicto, primæ scelerum causæ mortalibus ægris (Naturam) nescire Deum. Mens etenim humana, nisi arbitrum sui agnosceret, facilè prava intra se foret: & affectu, ac voluntate laberetur; invalido ab externo motu auxilio, cui actus interni non subsunt. Noscendus itaque Deus est: non quòd curiosè nimis inquiramus, scrutemurque; sed ut admirationem cum æstimatione, venerationem cum timore, amorem denique cum fiducia, in nobis erga eum concitemus.

Est homini necessaria.

Ut vitam ejus temperet.

Hoc itaque fine, dicam hoc Capite tria. Nempe, de Natura Divina, ut in se est:

Trifariã declaranda.

se est: deinde, ut erga nos est: Postremò, ut à nobis nosci vult; idque totum ex constituto religionis dogmate, & Ecclesiæ sensu.

Pars Capitis Prima.

De Natura Dei, & quid in se sit; ubi novo modo, ac ratione, dogma Trinitatis accuratè explicatur.

Deū esse, dictū supra est. DEum esse demonstravi in Prolegomenis: in ipso enim Scripti initio, id velut fundamentum poni oportuit; quo structura libri surgere posset. Nunc qualis sit; quà possum, explicabo. Quà possum, inquam; plenè enim Naturam ejus assequi, non est virium humanarum; ut infra, parte Capitis altera, cùm de gloriæ donis agam, demonstrabo. *Nūc qualis sit, dicendum.*

Sepe noscitur nesciendo. Sed est etiam cognitio, & comprehensio quædam; ut id, quod certa ratiocinatione agnoveris ita esse; id fatearis, quomodo ita sit, comprehendi non posse. Hoc genus cognitionis Dei nobis convenit maximè; hoc est; non capiendo eum, capere.

Et quid Itaque magis convenit de illo dicere,

re, quid non ſit, quàm quid ſit. Ut; non eſſe multiplicem eſſentia, partibus, compoſitione, numero; ſed omnino, & undique unum ſimplicemque. Eſſe enim, inquit D. Auguſtinus; nihil aliud eſt, quàm unum, eſſe: & in quantum unitatem aſſequitur; in tantum eſt. Unde ſimplicia ideò magis ſunt, quia una ſunt: quæ autem compoſita, concordia partium imitantur unitatem; & in tantum ſunt, in quantum eam aſſequuntur; & niſi eam haberent, non eſſent. Quæ enim conſtant partibus, ſunt unum in ſuo toto; quæ ex accidentibus, unum ſubjecto; quæ plura numero, ſunt una Specie; quæ ſpecie varia, genere uniuntur; quæ demum productione multa, unum ſunt principio. Sequitur itaq; ut idem ſit eſſe, quod unum eſſe. Deus verò, cum ſit αὐτὸ τὸ ὤν, & ejuſmodi eſſe; ut niſi illud eſſet, nihil eſſet: ideò longè perfectiori quadam ratione, & παντελῶς unum ſit, neceſſe eſt; & id eſt illi eſſe, quod unum eſſe.

non ſit dicendo. Non eſt multiplex, ſed unus. Eſſe enī, eſt unum eſſe. Quod probatur. Etiam exemplis. Eſt ergo unus natura. Ens à ſe. Omnimodè.

Unum, inquam, non modò ſimplicitate; ſed etiam numero. Nam ſi plures eſſent Dii, eſſent differentes; atque adeò omnes imperfecti: nam in ea no-

Et numero. Alioqui imperfectus.

ta, in qua differrent ab invicem, deficerent.

Summè autē perfectum esse denōstratur.

Imperfectum autem Deum nemo dixerit; cùm absurdum sit eum, qui est à se, non perfectum omni ex parte esse. Aut enim sibi dare, quod summum, perfectissimumque est, non potest; aut nescit; aut non vult. Non primum; quia qui à se esse potest, omnia potest: Non alterum; nam qui se plenè scit, scit etiam quod sibi optimum sit: Non demum tertium; quis enim, cùm summè potest, & novit, non quod perfectum est, voluerit, prehenderitque? Est ergo Unus, perfectusque Deus.

Si solus est Deus, nō est Bonum.

Sed iterum oritur maxima difficultas. Nempe; quòd dum unus duntaxat Deus est; si solus est, non est bonus; seu potiùs, non est bonum. Boni enim maxima, intimaque proprietas est communicatio: solitudo autem communicationem impedit, aut potiùs tollit: Tollit ergo & Boni Naturam. Ergo τὸ ὂν summum, si solum est, non est bonum. At quomodo, cùm ab illo cuncta, quæ bona sunt; non ipsum magis tale?

Quia non se plenè communicat.

Ens.

Creaturis

Quod si dicas; explevisse Naturam suam,

ſuam, cùm ſe impertivit Creaturis; falſum eſt. Non poteſt enim finita, & circumſcripta communicatione bonum infinitum expleri.

enim imperfectè.

Deinde, non eſt perfectè beatus Deus, ſi ſolus eſt. ἄφιγος enim eſſet; & careret conſortio, ac Communicatione ſibi adæquata: in qua ſuavitas, ac fruitio beatæ vitæ ſita eſt; dum nempe bonum, ſe alterum habet, cum quo ex æquo ſe communicat, fruiturque.

Nec beatus eſt ſine conſortio felicitatis.

Terriò: ſi ſolus Deus eſt, ſummè efficax, ideoque ſummè ſimplex non eſt. Quod ſic deduco. Quo magis quidpiam ſimplex, magis efficax eſt: ut, inter elementa, ignis. Efficacitas verò in Natura Creata, maxima eſt in eo; ut id quod efficit, ſibi quam maximè par, & ſimile efficiat; majus enim ſe efficere non poteſt: nam operatio non excedit eſſentiam. Natura autem increata, ut ſit ſummè ſimplex, & ſummè efficax; neceſſe eſt profectò, ut non modò ſimile producat; (par enim alioqui eſſet viribus creatis) ſed prorſus alterum idem: tum enim demum efficaciſſimum ſimplex, cùm producit alterum ſe; atque ita ſolum non eſt.

Nec ſummè ſimplex.

Et ſũmè efficax.

Niſi ſe alterũ producat.

Unum, Verum, Bonum.

Quartò: cùm ostensum supra sit; quòd esse nihil sit aliud, quam unum esse; consequitur, ut id quod est, unum sit: atque ideò, propriè unum est, quod est. Sed quia verum etiam est, quod est; (Falsum enim non est) & denique Bonum etiam est, quod est: (nam malum non est;) ideò Unum, Verum, Bonum est, quod est. *Tria hæc habent Unū esse.* Cùm autem esse, sit Unum esse; ideò tria hæc, habent unum esse; & quamvis distincta sunt, coessentialia tamen sunt. *Suntque Pater, & Filius, & Spir. S. Substantivè.* Porrò Unum; est Pater, id est Principium. Verum; est Filius: imago Patris; eum ὀυσιωδῶς & vivè repræsentans. Bonum denique, est Spiritus Sanctus; nectens amore ac fruitione, commune ac consors Trium esse.

Nunquā Deus sine actione.

Quintò: Deum ab æternitate tota, nunquam sine actione fuisse; nec torpidam, similemque sopori vitam egisse, manifestum est. Summa enim, æternaque mens, quæ sola per se vivit, vigetque; quomodo potuit esse actionis aliquando expers? cùm ne nostra quidem, illa careat unquam. *Actio ejus contemplatio.* Actio verò ejus intima, propriaque; quia interna est, ideò contemplatio est. Quid autem con-

contemplatur? non aliquid ſeipſo majus, perfectiuſque; nihil enim ipſo majus, aut perfectius eſt. Non etiam tantùm aliquid ſe inferius; nam ſola contemplatio ejuſmodi, non eſſet ipſo digna; nec ejus menti par: nec ſufficiens, ut ei per omnem æternitatem immoraretur, ſeque ea oblectaret. Neceſſe ergo eſt, ut ſui ipſius contemplationem ſemper habuerit. Hæc verò ſui ipſius Contemplatio; perfecta, conſummataque, ut ſit; neceſſe eſt, ut Deo repræſentet totam ejus ſubſtantiam. Quod autem repræſentatur, cernitur, aſpiciturque; id oppoſitum ſit, neceſſe eſt. Et quod oppoſitum eſt, alterum eſt. Eſt ergo Deo ſemper oppoſita, vivens, ſubſiſtenſque ſui ipſius Cognitio, ſeu imago; atque adeò Perſona altera, coæterna, & conſubſtantialis. Ab utraque verò hac manat, ſeu procedit & tertia; nempe Spiritus Sanctus. Nam, ut ſine contemplatione, & cognitione ſui eſſe Deus non poteſt; ita hæc cognitio amorem ſui, & fruitionem producat; neceſſe eſt. Qui amor conſubſtantialis itidem, & æquè æternus, & ſubſiſtens, atque extans ſemper; & omnino Perſona eſt.

Contemplari ſe majus nequit.

Nec tantum ſe minus.

Se ergo contemplatur.

Et totũ ſuam eſſentiam.

Quã oppoſitam ſibi.

Ideoq; ſe alterum habet.

Hinc procedit Amor.

Sub tertia Perſona.

Sed

Deus est unus, & non solus. Sed dum sic in Dei natura solitudo vitatur; cavendum maximè est, ne pluralitas, & ex illa diversitas accersatur. Hæc enim utraque, & Unitatem tollit, & disjungit, separatque: unde à perfectissima natura Dei, hoc incommodum oportet amoliri; & statuere; ut Deus, & unum sit, & non solus. Itemque, ut, dum est non solus; non sit diversus. Quod aliter non potest consistere, quàm dogmate Christiano: quo *Quia in una essentia tres Personæ.* est essentia unum idemque; & Personis trinus: Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: nam hi tres, unum sunt.

Est inquam Trinus, & Unum: tum enim optimè sua ipsi constat Natura. Nam Essentia, ejusque attributis, unum idemque est: (una nempe tribus, & *Quod uberiùs declaratur.* coessentialis Potentia, Sapientia, Bonitas; una, eademque numero, compos unius Essentiæ, Deitas: ideoque nulla prorsus in illis diversitas.) Solus autem non est, quia ipsummet Bonum est; se infinitè sibi communicans. Perfectum quoque, beatumque est, unitissimi consortii dulcedine: qua gaudet Deus, ve- *Pater gignit Filium.* rè, & propriè alter; & alter ipse. Summè simplex, quia summè efficax est; dum gene-

generat, ac producit, non modo ſibi ſimile; ſed ȣσιωδως idem ſecum. Nempe in mira emanatione illa, Deitati interna, neque illius Unam Entitatem egreſſa, ab æterno Pater, viſione ſui, gignit Filium; & uterque ex ſui boni agnitione producit Amorem: id eſt, unum, eundemque Entitate ſecum, Spiritum.

Subſtantivè.

Uterque producit Spiritum Sãctum.

Quis autem comprehendat, aut effe-rat, quæ dulcedo ſit iſtius fruitionis? qua una Divinitas, in tota æternitate ſe novit, atque amat; & in pari, & æquali communione, ſe ſibi indulget, ſe mutuò oblectat, bono contenta ſuo: ideoque læta, gaudens, & beata ſemper.

Mira hinc Divinitatis felicitas.

Eſſe itaque in Trinitate Perſonarum, unum natura Deum, ex ratiocinatione jam dicta colligimus: & quod majus eſt, remque continet, ac conficit; fide Catholica docemur. Sed quoniam id, quod aſſeritur eſſe, cupimus etiam ſcire, quomodo ſit: ideò ad muniendum hunc locum, qui profectò eſt Criſtianæ profeſſionis, ſeu Religionis unicum fundamentum; ex iſta ipſa ſciendi natura,

Modus hujus arcani accuratiùs & novo modo deducitur.

sumpto

ſumpto principio, ibimus in amorem; ducemuſque aliquam velut umbram Sanctiſſimæ Triadis. Id verò ex erudita lucubratione Patris Laurentii Pikarſcii, è Societate JESU eximii Theologi; quam mihi in ſuo dedit manuſcripto, & quam ex ejus permiſſu, opportunè hic (ſed compendio) inſeram; explanabo.

Scientia directa ſcit. Reflexa, ſcit ſe ſcire.

Scientia, (inquit ille;) creata naturæ rationabilis, ut ſit exacta, ſeu vera; duplex omnino eſſe deberet. Prima; qua ſcimus aliquid: vocaturque Directa. Altera; qua, id quod ſcimus, nos ſcire agnoſcimus: quæ Reflexa dicitur. Hanc utramque, & ſe conſequi, & ad ſe mutuò referri, omnino eſt fatendum. Nemo enim ſcit, niſi ſciat ſe ſcire id quod ſcit: exinde verò neceſſaria conſecutio cernitur. Deinde; ſi ſcit; ſcit ſe ſcire: & ſi ſcit ſe ſcire; ſcit etiam. Unde evidenter mutua Relatio patet: ideoque ambæ iſtæ ſcientiæ, & ſe conſequentur, & relativæ mutuò erunt. Quo conceſſo, ampliùs ſequentur iſta.

Primam altera cōſequitur.

Suntque mutuò relativæ.

Sunt inter ſe æ-

Primum: utramque hanc ſcientiam, neceſſariò ſimilem, & æqualem omnino

no inter se esse: Quod enim, & quantum quisque scit; id, & tantumdem scit se scire. Non aliud; quia aberraret. Non plus minusvè; quia revera nesciret. Similis ergo necessariò, & par per omnia esse debet scientia directa scientiæ reflexæ. *quales, & pares.*

Alterum consequitur: utramque hanc scientiam & Naturà, & Tempore simul esse. Natura enim prius est; quod potest esse sine altero, alterum verò sine illo esse non potest: quæ autem sunt Relativa ad invicem, non possunt esse sine altero. Scientiæ verò dictæ sunt relativæ, Ergo non possunt esse, una sine altera: Ergo simul sunt Natura. Tempore deinde erunt simul: nam ut primùm quispiam scit; statim, & simul scit se scire: Ergo utraque scientia erit simul, & natura, & tempore. *Simul natura, & tempore.*

Tertiò: quoniam ostensum evidenter est; scientiæ directæ, scientiam reflexam, consequentem omnino esse: atque adeò ab illa velut suo principio prodire: & (quod infertur) secundam ab illa esse: deductum verò etiam; prioritatem nihilominus naturæ, & temporis nullam, inter utramque inveniri: *Originis tantùm prioritatem habent.*

sequi-

ſequitur: origine tantùm, ſcientiam directam primam eſſe: Reflexam verò conjunctione, ac communicatione ejus, alteram. Sed cùm ibidem demonſtratum ſit; utramque ſimilem omnino, paremque inter ſe eſſe: ideò evidenter conſtabit, originatione hac, nullam illarum diſſimilitudinem, nullamque imparitatem effici. Etſi enim una ab altera originem habet: tamen ubi Origo, & derivatio, ita ſunt juncta ſibi, ut altera primæ non ſit accidens; ſed natura, & ipſummet eſſe: ibi Ordo erit inter ſeſe conſequentia; inæqualitas verò, imparitas, prioritas, naturæ aut temporis, nulla erit. Atqui ex dictis facilè patet; ſcientias, Directam & Reflexam, eò modo conjunctas eſſe; nempe neceſſaria conſecutione, & ipſa natura: ideò Ordinem habebunt; & nihilominus undequaque pares ſibi erunt.

Sed hinc nulla imparitas.

Quod cõprobatur.

Hæ ſunt notiones, quæ ex conſideratione ſcientiæ creatæ verè deducuntur. Cæterùm, quòd ſcientia creata, longè inferior ſit ſcientia Divina; etſi per ſe eſt evidens, ac manifeſtum: tamen ad pleniorem eorum, quæ dicentur,

Oſtenditur creata ſciẽtia, impar increatæ.

centur, notitiam; non abs re erit, cur ſit inferior, cauſam proponere. Quæ in hoc potiſſimùm ſita eſt: quòd Creata Natura neſciat ſuum eſſe; ſcire enim rem aliquam, eſt eam mente videre: ut autem ſeipſum oculus corporis non intuetur; idque ideò, quia ſibi non opponitur: ita & mens Creata non poteſt habere ſui ipſius objectum terminatum; alioqui cognitio illi eſſet ipſa ejus Eſſentia. Cùm autem Scientia Naturæ Creatæ non ſit ejus eſſentia; (ut patebit infra,) ideò non habet ſcientiam ſui eſſe.

Deinde: quomodo ſe ſcire poterit eſſe Creatum; cùm vix ſit, & vix exiſtat? Nunquam enim ſtat in ſuo eſſe: ſed ſemper, (ut inquit D. Auguſtinus) deſinit eſſe, quod erat; & incipit eſſe, quod non erat: atque adeò propriè non exiſtit. Imò propriè non eſt: quidquid enim ex eo, quod non erat, ortum; non ceſſat tendere in id quod erit; linquens ſemper quod jam fuit: hoc, (ait Bernardus) tranſitũ ſanè habet per Eſt, ſed propriè non eſt; quia nunquam in eodem ſtatu permanet. Si autem verè non eſt; quomodo ſciet verè ſuum eſſe? *Nec propriè eſt, exiſtitq;*

Tertiò:

Denique ab alio est. Tertiò : esse ejus est ab alio; ideoque alienum : & ipsi soli notum, qui dedit.

Hisce de causis, imò præter omnes hasce causas, certum est: inferiorem infinita ratione esse Scientiam Creatam Scientia Divina; ideoque memoratas dotes vix, vel certè imperfectè retinere, & exercere.

Naturæ Increatæ perfectior scientia ideò. Ex his verò, quæ de scientia Creata dicta sunt facilè est gradum ad Divina promovere, ac struere. Dotes enim, quæ ostensæ sunt inesse debere Scientiæ Creatæ; insunt verè, propriè, ac perfectè Naturæ Increatæ. Insunt inquam, sed longè excellentiùs, præstantiùsque, hoc præsertim discrimine: *Quia idē est illi scire, quod esse.* quòd Naturæ Creatæ scire, ut dixi, disjunctum, ac disparatum sit ab ejus esse: non est enim ejus Substantia, sed accidens: unde non est illi, sicut Deo consubstantiale, & coessentiale; sed est agentis actio ad extra. Ideoque actionis solùm Naturam expendimus, cùm scire creatum consideravimus. In Deo verò, simul & junctim, Natura seu Essentia ejus, & scire ejus considerandum est. Etenim in Deo idem est agere, quod esse: nam, si actio ei accidens esset;

com-

compositus esset: id verò cùm absurdum sit omnino Divinitati; ideò, id ei est actio, quod essentia; id scire, quod esse. Atque ita hoc, idemque est Deus, quod est sciens. *Idē Deus, quod sciens.*

Sciens hic, quia verè solus est; ideò solus se scit. Et hoc ipso quod se scit; totum quod scire potest, scit. Non autem se aliquid majus; neque id tantùm, quod ipso inferiùs. Nam si sciret, aliquid se majus; illud majus, Deus esset; ipse verò, Deus non esset. Si verò id tantùm sciret, quod ipso minus est; imperfectam valde haberet Scientiam: etenim seipsum nesciret. Consequitur itaque: ut Deus & nihil se majus, & non tantùm inferiora se sciat; sed seipsum sciat, quod est. Est autem ille solus; ideò & solus scit se esse: id est; propriè, & consummatè scit se scire; seu scit suum scire; seu (quod idem est) scit suum esse: in Deo namque idem est scire, quod esse. *Solus scit* *Id est, scit suū esse.*

Hæc scientia sui, quia Scienti est reciprocè consequens; ideò est relativa. Similis quoque, & par per omnia: quia sciens id scit, quod est. Unde non modò similitudo & paritas, sed eadem e- *Hæc sciētia ei æqualis.*

Simul natura, & tempore. rit Entitas Scientis, & ſcientiæ ſuæ. Natura præterea, & tempore Sciens ſimul eſt, & Scire ſuum: ſeu Dicens, & Verbum. Dum autem ſimul ſunt Natura, & tempore, nulla intercedit prioritas conditionis, etiam ex ratione principii: nam ſemper, in principio, erat Verbum.

Origine tantùm altera. Origine ergo tantùm, Scire à Sciente, Verbum à dicente, Verum ab Uno; alterum erit. Alterum propriè; non verò aliud: eadem eſt enim Entitas, ſeu eſse utriuſque. Secundum, inquam eſt; non verò propriè poſterius, aut inferius: *Originatio nõ adfert imparitatem.* Originatio enim hic, ordinem tantùm facit; non verò differentiam æqualitatis. Nam collocatio, & numeratio in recenſendo, quam requirit Relatio, non adfert diſparitatem; ut primum ſecundo excellentius faciat: ſed ordinem conſtituit Relationis æquiparatæ: Naturæ dignitatem non immutans; præſertim cùm Communis eadem, & una eſt.

Scientia creata nõ eſt ſubſiſtens. Sed quia Scientia Naturæ Creatæ eſt mutabilis; ſicut & Natura, quæ illam producit; & quod maximum, non eſt ſcientis eſse, ſed actio; nec ſubſtan-

tia

tia ejus, ſed accidens; eſtque velut imago in ſpeculo, quæ viventem hominem utcunque repræſentat, cùm ipſa non vivat: ideò non eſt res ſubſiſtens; nec ὑπόςασιν ſuam habet. Scientia verò Dei, quia eſt immutabilis, una ſemper, ſimilis, & par per omnia Scienti, Viventis viva imago, & coæterna, coeſſentialis, conſubſtantialis: ideò ſubſiſtit, & extat; extititque ſemper. Eſt nēpe Deo oppoſitus ſui ipſius terminus; cognitione productus: & , ut propriè dicam; Idem alterum. Idem, non partita, ſed eadem unitate Eſſentiæ; Alterum verò exigentia Relationis: nam ſcientis, ad ſcire ſuum relatio eſt (uti oſtendi) Relatio verò eſt, ad alterum. Subſiſtentiam. *Increata Subſiſtēs.* *Et Alterū Idem.*

Porrò, Alterum hoc, quòd ſit ὁμοȣ́σιον Deo; patet ex ante dictis. Si enim aliquid in Deo eſſet, quod non ejus Eſſentia & Subſtantia eſſet; aliquid non Divinum, & externum Divinitati ineſſet. Quod cùm ſit abſurdum; ideò Alterum hoc, Subſtantia Dei eſt; & eſt res verè ſubſiſtens: ita ut poſſit, ut hæc, monſtrari; ideoque facit Subſtantiam terminatam, ac individuam: &, quod conſequitur, Perſonam. Intellectualis *Alterum hoc facit Perſonā.*

enim, terminata, & individua substantia, Persona est.

Persona hæc, est Filius, quia genita.

Persona hæc verè, & propriè dicitur Filius: idque, quia generatione procedit. Si enim Personæ istius non esset generatio; esset aut efficientia ejus, aut Creatio: (processionem namque excipio; quæ Spiritui Sancto propria, à generatione quomodo differat, paulò post dicam:) Quod verò efficitur, ex alio est; quod creatur, ex nihilo est: atque ita neutrum ex Substantia efficientis, & Creantis. Id autem productioni Divinæ inconveniens prorsus, & absurdum esse, ex his, quæ dicta sunt, patet evidenter. Est ergo generatio hæc vera: præsertim cùm exactè, unicè, & sola generationis proprietates retineat, impleatque.

Nō facta.

Non creata.

Generationis proprietatē implēs.

Est enim vivēs ex vivente.

Cùm enim sit ea generationis prima proprietas, ut sit viventis à vivente; Deus, qui Vita est, non potest producere nisi Vitam. Deinde: cùm altera proprietas sit; ut sit ex generantis substantia; Generatio Divina, non participationem Substantiæ (ut creata) habet cum suo principio; sed identitatem: id est, non fluxum ejus, sectionem,

Est ex generantis substātia.

nem, partem; sed totius, ejusdemque communicationem. Denique, cùm tertium generationis requisitum sit: ut in similitudinem producatur sui principii; in generatione Verbi id consummatissimè impletur: quod mentis, à qua generatur, est imago perfectissimæ similitudinis. Deus nempe, (inquit Augustinus,) genuit quod est: qui cæteris dedit gignere, in similitudinem ejus, quod sunt. Est itaque Sciens, & Scire suum; Dicens, & Verbum; Unum, & Verum: idem quod Pater, & Filius. Quæ nomina postrema, toties in Scripturis, verè, & propria significatione repetuntur.

Est in similitudine principii.

Ergo Filius Patri.

Propria significatione, inquam. Nam Paternitas vera in cælo, seu Deo tantùm est: & quod consequitur; Filiatio (ut sic dicam) vera. Homines enim, & patres, respectu filiorum sunt; & filii respectu patrum: at in Divinitate tantùm, nunquam Pater Filius, & nunquam Filius Pater. Deinde; cùm sint Deo filii, quos sua gratia effecit; necesse est, ut sit & Filius, quem sua Natura genuit. Nã imitatio, oportet ut habeat suum exemplar, & archetypum. Imi-

Paternitas vera in cælo tantùm.

Si est filiatio adoptiva, est & naturalis.

tatio autem veræ generationis, est adoptio: Ergo si est, ut ita dicam, Filiatio adoptiva, est & Naturalis.

Ad processionem S. Spiritus, transitus. Cum ejus invocatione.

Sic generatione Filii deducta; Processionem quoque à Patre, & Filio, Spiritus Sancti iterum videamus. Sed non sine debita ejus invocatione. Veni ergo Sancte Spiritus, mentes nostras visita, & te nobis aperi: Nam sine tuo lumine, nihil est in homine.

Recapitulatio dictorũ de generatione Filii.

Patet ex his, quæ hactenus dicta sunt; quòd Divinitas & est; & scit suum esse: seu Est τό ὀν: unum; & verum. Esse enim, est Unum esse: se scire, est Verum esse. Ostensum id, inquam, & pro captu mentis humanæ demonstratum, hac quæ sequitur anacephalæosi. Primò: Quòd in DEO idem est Esse, quod scire. Secundò: Quòd solus Deus se scit. Tertiò: Quòd hæc scientia sit consequens reciprocè. Quartò: Quòd sit relativa. Quintò: Quòd sit cum suo principio simul natura, & tempore. Sextò: Quòd Originis tantùm ordinem habeat, sed sine imparitate. Septimò: Quòd subsistat, & suam hypostasim habeat. Octavò: Quòd sit Persona. Nonò: Quòd sit Filius. Hoc

Omnia hæc cõve-

totum

totum inquam, ſupra deductum ſat eſſe puto evidenter. Nunc verò deducendum reſtat, eadem omnia tertiæ, τῦ ἑνος convenire hypoſtaſi; ſeu Bono, ſeu Amori; id eſt Spiritui Sancto: præter unum ultimum. Nempe, quod non ſit, & cur non ſit Filius; ſed Spiritus ab utroque, nempe à Patre & Filio, non genitus, ſed procedens. Et hoc mihi demonſtrandum propono. *niſſe Spir. S. demōſtrabitur.* Entis. *Præter unū, quòd nō ſit Filius.*

Quod ut jiſdem gradibus deducam, quibus ad ſecundam deveni hypoſtaſim; ita ordiar.

Amor Creatæ naturæ, ut ſit perfectus, duplex eſſe deberet. Primus; quo amamus ſimpliciter; id eſt, in rem amatam propendemus, ferimur, eamque prehendimus; qui vocatur Directus: Alter; quo amatæ rei compotes facti, ea gaudemus, oblectamur, fruimur, & in fruitione conquieſcimus; id eſt, amamus hoc noſtrum amare: qui Amor eſt Reflexus. *Amor creatus directus, & Reflexus*

Hunc utrumque amorem ſe conſequi, & ad ſe mutuò referri; evidens eſt: nemo enim amat, niſi gaudeat; ſeu amet ſe amare. Unde patet conſecutio. Deinde ſi amat; gaudet eo amore: & *Seſe cōſequens, & mutuò relativus.*

ſi amore gaudet; amat. Unde Relatio. Uterque ergo amor, & ſe conſequens, & relativus mutuò erit.

Uterque par, & ſimul natura, & tempore.

Hoc conceſſo: adfateri neceſſe eſt, utrumque hunc Amorem, parem ſibi eſſe: ſimul natura, & tempore eſſe: Origine tantùm, alterum à primò prodire: nullam tamen exinde imparitatem effici. Cuncta enim hæc, cùm Scientiæ Directæ ac Reflexæ inſint, ut evidenter demonſtratum eſt, Amori itidem Directo ac Reflexo inerunt neceſſariò.

Ex originatione nulla diſparitas.

Non minùs & iſtud conſequitur: quòd Amor Creatus Amori Divino nullo modo æquiparandus ſit. Amor enim creatus non debet eſſe ad ſe: nam creatura per ſe non eſt; ideo & bona per ſe non eſt: ideo amare ſe; ut ſe, niſi perperam, & pravè non poteſt: Amaret enim non bonum; quod eſt contra naturam amoris: Ideoque in φίλαυτον ἔπιτίμησιν laberetur; nec Amor hic, ſed concupiſcentia eſſet.

Cur Amor creatus non æquiparetur increato.

Suimet-ipſius cultum.

Jam verò, ut ex conſideratione Amoris Creati ad Increatum aſcendamus: Inprimis agnoſcendum eſt; dotes Amoris Creati recenſitas, hoc diſ-

Amor increatus non eſt accidens, ſed eſſentia.

ferre

ferre ab increata natura, quòd Amor Creatus ſit actio ad extra; Divinus verò ſit ipſummet ſuum eſſe: nam Deo idem eſt amare, quod eſſe: Et idem eſt Deus, quod amans.

Amans hic, quia ſolus verè eſt, ideo & ſolus bonus eſt, ſeu ſolus bonum eſt: ideoque & ſolus non poteſt non ſe amare; & ſolus ſe amat meritò. Quòd non poſſit non ſe amare, patet; quia boni proprietas eſt, amari: ipſe ergo cùm ſit ſummum, totum, ſolumque bonum; ſe ſummè amet, neceſſe eſt. Ab alio enim, ſummè, & adæquatè amari non poteſt. Privaretur itaque ſummum bonum debito ſibi amore, ſi à ſe non amaretur. Quòd verò id meritò faciat, patet etiam: Non enim poteſt amare ſe aliquid melius, perfectiuſque: quia iſtud melius, perfectiuſque, Deus eſſet; ipſe verò Deus non eſſet. Non poteſt etiam amare ſe quid imperfectius: quia contra Naturam veri amoris eſt, imperfectum amare; quod enim eſt imperfectum, bonum non eſt. Si itaque imperfectum amaret, non bonum amaret. Quòd verò amat propter ſe; eo ipſo verè, & propriè amat tantùm ſe.

Deus ſe ſolum, & neceſſariò amat.

Et meritò.

Creaturas propter ſe.

Hic

Increati amoris dotes eædem, quæ scientiæ increatæ. Hic Increatus Amor sui, amanti est reciprocè consequens, ac Relativus: Nam id amat, quod est; & id est, quod amat. Similis quoque, & par per omnia; quia nec amplius, nec minus seipso amat. Natura demum, & tempore simul; quia ut est, statim se amat.

Quod ostenditur. Origine ergo tantùm Amans & Amor, ordinem habet; sed ita, ut ordo hic, in Natura eadem, non faciat imparitatem ullam.

Est idem alterum. Ordinis hujus terminus, quia est Essentia ipsa Divina; ideo Deo est coessentialis, & consubstantialis; subsistitque, & extat: Nempe fruitione resultans alterum idem. Idem, non multiplicata, sed eadem entitate; Alterum, exigentia Relationis: Est enim Amantis ad Amare suum Relatio; Relatio verò est ad Alterum.

Alterum hoc, est Persona. Alterum hoc, quia totam plenitudinem habet substantiæ Divinæ; ideo res est ita extans, ut possit monstrari ut hæc: Ideoque facit Personam.

Persona hæc, non est Filius. Persona hæc non potest dici Filius; quia non generatione, sed processione est. Etsi enim habet processio ista hanc proprietatem generationis, quòd sit vivens

vivens ex vivente; alteramque, quòd ſit ex ſubſtantia: attamen tertiam, nempe ſimilitudinem, non ex vi ſuæ productionis habet, ſed ex vi conſubſtantialitatis. Mentis enim tantùm, ſeu intellectus, eſt hæc intima, & peculiaris proprietas; ut producat ſibi ſimile. Unde fætus ejus Verbum, ſeu Verum eſt ejus perfectiſſima imago. Voluntatis verò actus, cui Bonum pro objecto eſt; non in id Natura ſua fertur, ut repræſentet; ſed ut uniat, potiatur, fruaturque. Cum itaque voluntatis non ſit hic finis, ut producat ſibi ſimile; ideo non poteſt ejus dici generatio. Atque ita (quod demonſtrandum ſumpſi;) Spiritus Sanctus non eſt genitus, & non eſt Filius.

Quia non habet ſimilitudinem ex vi ſuæ proceſſionis.

Voluntas nõ refert imaginẽ, ſed ei unit.

Sed obiici poteſt. Quod Amoris proprium eſt, unire; non uniuntur autem, niſi ſimilia: Ergo neceſſe eſt, ut Amor, dum vult unire, feratur in ſimile; atque ita in ſimilitudinem producat, ſeu generet.

Obiicitur quod non uniantur niſi ſimilia.

Reſpondendum huic objectioni: Verum quidem eſſe, quòd Amor uniat; & quòd nequeant uniri, niſi ſimilia: ſed ex hoc non ſequitur, quòd amans ſibi ſimile

Reſpondetur, quod amor ſe mutat in amatum.

mile producat: ſed potiùs, quòd conetur, ſtudio Unitionis, ſe in id quod appetit tranſmutare; & ſe ſimilem rei Amatæ efficere. Intellectus non tranſit in rem intellectam, ſed potiùs eam ſibi conformem, ſimilemque efficit. Voluntas verò, ſeu amor id efficitur, quod amat. Unde qui intelligit, quid ſit probum eſſe; non ſtatim probus fit: qui autem vult eſſe probus; quod verè vult, eſt. Exinde verò patet; quòd cùm generatio ſit, ſibi ſimile alterum producere; non verò ſe in alterius ſimilitudinem convertere: ideo, intellectus generatio propriè dici poteſt, non poteſt voluntatis. Itaque Perſona, quam voluntas producit, non eſt Filius: quia non generatione procedit. Nullo etiam modo Efficientia, aut Creatione: quia (ut ſupra dixi;) quod efficitur, ex alio eſt; quod Creatur, ex nihilo eſt; neutrum ex ſubſtantia Divina. Atqui conſubſtantialem eſſe Perſonam tertiam Divinitati, ſupra demonſtratum eſt; ideo nec Efficientia, nec Creatione producitur.

Intellectus potiùs rem intellectam ſibi ſimilem efficit.

Unde ejus eſt generatio.

Voluntatis nõ eſt.

Nec efficientia.

Nec creatio.

Videndum jam ergo eſt, quid ſit tandem hæc Productio; & quem Ordinem Ori-

Oſtenditur ejus productio.

Originis habeat. Quod ut deducam; Hoc imprimis est Notandum. Eorum, quæ ad se referuntur, tria esse genera. Primum Æquiparentiæ, ut vocant: ubi est Relatorum paritas; ut amici ad amicum. Disquiparentiæ alterum: ubi eorum disparitas; ut Domini ad servum. Tertium adhuc genus est Naturale, insitum, necessariò consequens: in quo Originis ordo est, sed inæqualitas nulla est. Hujus postremi generis, in Natura Creata, exemplar maximè perfectum ego censeo in potentiis, seu facultatibus animæ: Memoria, Intellectu, Voluntate. A Memoria etenim; quam ego visionem animæ, in uno fixam voco; oritur Agnitio Veri, quæ Intellectus est: ab utroque autem Amor, seu fruitio boni; quæ est Natura voluntatis. Etsi verò tres istæ facultates talem Ordinem Originis habent; attamen inter se pares, & similes sunt: ideo; quia sibi consubstantiales, & in unitate Naturæ sunt.

Refer ũtur ad se æquiparata, ut amici. Disquiparata, ut servus & Dominus. Se consequentia.

Quorum exemplar in tribus animæ potẽtiis.

Multò autem, imò infinitè perfectiùs, id totum Divinitati inest. Verum, inquam, Naturalem, immutabilem, Originis ordinem habet. Ostensum enim est,

Multo magis hæc consequẽtia ordinis, est in Divinitate.

Origo non reciprocatur. est, à Patre, ut principio, Filium procedere, & oriri. Origo autem, & Principium, Ordinem ideo facit; quia non potest mutuò, & vicissim reciprocari. Unde rectè voco, Cæsaris imaginem: non rectè verò, Imaginis Cæsarem. Sic à Patre Filius, non Pater à Filio. Est ergo in Divinitate Originis ordo.

Ordo in Divinis est, Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Qualis autem? Ille certè, quem formula baptismi, id est, tessera fidei nostræ ostendit, ac comprobat. Dum (ut ait Basilius) Oportet nos baptizari, prout accepimus; credere verò, prout baptizamur. Nempe, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Sub his tribus (inquit Tertullianus) & testatio Fidei, & sponsio salutis pignoratur.

Quod verbis scripturæ probatur. Hic ordo est Naturalis, & insitus. Scriptum enim est: quòd quidquid habet Pater, dederit Filio; & Filius dicit: quòd Spiritus de suo accipiat. Additque: Omnia quæ habet Pater, mea sunt; propterea dixi, de meo accipit. Ex his inquam, verbis patet: Et communicata à Patre omnia esse Filio, quæ servato Ordine Originis, & salva Paternitate, communicari poterant: Et

ab

ab eodem, ſimul cum Filio, itidem communicata Spiritui Sancto.

Nempe Amorem directum (ut ſupra oſtenſum eſt) habet Pater: & quia omnia, quæ Ordini Originis non repugnant, dat Filio; ideo dat ei eundem Amorem Directum. Dum verò uterque etiam habet eundem Amorem Directum; uterque etiam habet eundem Amorem Reflexum; id eſt Spiritum Sanctum: ab utroque, ſed junctim, & ut ab uno principio procedentem, ſeu ſpiratum. Non enim participatio eſt hic, ſed communio ejuſdem Naturæ. Et ideo rectè vocatur Proceſſio; quia à duobus, eadem amborum emanatione, eſt. Quæ emanatio in tertio ſubſiſtit; nec tendere ultra poteſt. Quia cùm eſt Deus; cùm ſe ſcit eſſe; & cùm ſe amat eſſe: hoc ipſo tota incluſa in ſe, ſe habens, ſeque fruens eſt Divinitas. Et omnia Patris habet Filius; & Patris Filiique omnia, Spiritus Sanctus.

Amorem directum dat Pater Filio.

Ex uno duorum amore directo, procedit unus utriuſque Amor reflexus: qui eſt Spiritus Sanctus.

Nec ultra procedit Divinitas.

Hæc ferè ſunt, quæ mihi de Trinitate dicenda propoſui. Cæterùm varias ſimilitudines è rebus Creatis Sacra Scriptura; & ex illa, Eccleſia deducere ſolet, Perſonarum Sanctiſſimæ Triadis:

Variæ imagines Perſonarum Trinitatis.

quas

quas Patres Sancti explicant, comparantque; quin imò suas quandoque addunt. Unde Filius; lux vera, lumen de lumine, splendor, speculum, imago Patris: Spiritus Sanctus; spiratio, Halitus, odor, unguentum, Sigillum, Digitus, passim vocatur. Sed in omnibus istis, semper aliquid dispar sit, necesse est: creata enim non possunt aliter, id quod increatum est, referre; nisi imperfecta imagine. Hæc præfatus, audebo ne & ego aliquam Trinitatis moliri similitudinem? Audebo: cùm, ut dixi, habeam, qui præivere exemplo. Ducam itaque in clausula hujus loci, tenues quasdam tanti Mysterii lineas, ex Trianguli consideratione, ac Forma.

Earumque Exẽpla.

Etsi imperfecta.

A nobis proponitur ex forma Triãguli.

Punctum fluxu suo facit lineam, estque ejus Principium; Linea verò dum directè tendit à puncto in punctum, recta dicitur. Sed Linea recta non ambit, non amplectitur; ut contineat, includatque: quia tantùm in directum fertur. Si verò supponamus, quòd recta hæc linea velit complecti, ac continere; necesse illi foret, figuram Rectilineam quærere; & assumere.

Fluxu puncti fit linea recta.

Quæ ut ambiat.

Nullam

Nullam autem, dubio procul citiùs, potiùsque sumeret, quàm Triangulum: namque inter Rectilineas figuras, primum est, ideoque figuram appetenti statim obvium. Deinde; omnium figurarum simplicissimum, facillimumque. Nam ex utroque puncto, fluxu Lineæ in unum desinit; & concursu laterum efficitur; & seipsum quodam modo definit. Quadrangulum verò non concurrit, non se claudit, non à se definitur; sed ab externa & quarta Linea: ideoque magis est compositum, & difficilius. Multò verò magis alia Poligona. Linea ergo recta, prout dixi; non aliam figuram citiùs, potiùsque appeteret, quàm Triangulum.

Necessè ut appetat Figuram. Nullam potiùs quàm Triangulum. Quia primum & obvium. Quia facillimũ. Non ita Quadratum.

Illud autem non modò Æquicrurum sed etiam Æquilaterum. Et Æquicrurum quidem ideo; quia æqualiter utrinque flueret, donec conveniret. Deinde; quia tum demum par utriusque lateris (ut ita dicam) via esset, ad se quantociùs uniendum: contra quàm Scaleno, ubi inæqualia latera inæqualiter concurrerent. Æquilaterum verò ideo; quia Linea, modum laterum Trianguli, naturaliter electura videretur ad

Appetet non modò æquicrurum. Sed etiã Æquilaterum.

mensuram sui. Deinde; quia inter latera, non aliter de conjunctione certiùs convenire posset, quàm si eam sumeret rationem, quæ una semper est, & invariabilis; ea verò in Æquilatero Triangulo tantùm est: Nam Isoscelum potest esse multiplex; Æquilateri verò modus unus tantùm, & immutabilis.

Quia invariabile.

Sic deducta Trianguli Natura, aptemus eam Divinitati: manca equidem similitudine; sed si benè expenderis, profectò inter illas, quæ adferri solent, non postrema.

Hæc Trinitati aptantur.

Cogito itaque αὐτὸ τὸ ἓν ὂν nempe Deum Patrem, & Principium Natura ferri, & tendere directè in terminum agnitionis sui, seu ad τ' ἀληθές. Directè inquam: Nam id fit visione; quæ non potest esse, nisi recta. Est igitur hæc quædam recta Divinitatis Linea, terminos oppositos habens: sed ita; ut quod in linea creata, est à puncto ad punctum directa protensio; id in increata, fit unius termini ad alterum, Naturæ ejusdem, itidem directa communicatio.

Unum à se ens. Pater Principiũ Verum.

Visione directa fertur in unum.

Efficitq; rectam.

Hæc æterna, & recta Linea, dum ex

Æterna hæc linea,

vi Naturæ ſuæ in directum eſt; non amplectitur, non ambit, non continet. Divinitatis autem Natura, neceſſe eſt, ut ſe plenè habeat, definiat, includatque; & quodamodo figuram appetat: id eſt; in tertio terminetur, claudaturque. Nempe ab utroque termino, à Patre & Filio, ſeu ab Uno, & Vero, ejuſdem Subſtantiæ Proceſſione, velut communis Lineæ fluxu, deſinit in τὸ ἀγαθόν: completque Sanctiſſimum hoc Patris, Filii, & Spiritus Sancti Trigonum.

quia recta; non includit.

Appetit autē includere.

Ideoq; in Trigonū.

Bonum.

Non enim Quadratum, aut Poligonum: quia tunc, non ſe ipſam Divinitas clauderet; ſed aliunde, & ab extra, Compoſita eſſet; &, ut ita dicam ſuperflua.

Non verò quadratum formatur.

Trigona itaque (fas ſit dicere;) eſt: Atque, ut inſiſtam ſimilitudini; non Æquicrura modò, ſed etiam Æquilatera. Etenim non duo tantùm latera, ob æqualem terminorum ad ſe conjungendum vim, habet; ſed tria, omnino paria inter ſe; imò & eadem prorſus. Nempe; ſicut, ſi in uno Triangulo ſint duo ejus latera, radii ejuſdem periferiæ; deinde duo iterum ejuſdem latera, itidem ſint ejuſdem periferiæ radii;

Illudque Æquicrurum, & Æquilaterum.

Quod demonſtratur geometricè.

dii; dum duo, tertio conveniunt, pariaque sunt; & inter se quoque conveniant, pariaque sint, necesse est. Sic, quia eadem Substantia (velut periferia) est Patris, & Filii; eademque etiam Patris, & Spiritus Sancti: ideo consubstantiales, id est pares inter se, & æquales sunt, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

Ad mensuram sui est.

Quod verò de Triangulo Creato dixi; quòd eum Linea ad mensuram sui productura videretur: Id, Natura ipsa Divinitati insitum necessariò est; ut æquales per omnia, & pares Personas, velut latera, producat. Cùm ut Trianguli æquilateri; ita & hujus productionis certissima, invariabilis, & unica tantùm hæc Forma est; ut sit ad mensuram sui, per omnia par, & æqualis.

Et invariabilis.

Ex eadē imagine patet: Ordo Originis.

Ex eadem similitudine, monstrari potest Ordo Originis in Divinitate. Cùm, ut à fluxu puncti, Linea; sic à generatione Patris, Filius. Sicut autem à fluxu Lineæ, junctæ duobus terminis, procedit tertius terminus Trianguli; sic à Patre, Filioque, velut ab uno conjunctoque principio, Spiritus Sanctus.

Hæc

Hæc est similitudo, à me non prorsus, puto, ineptè prolata; ita tamen, ut ab ea, id quod rebus creatis imperfecti adhæret, semper secernamus, separemusque: Nempe protensionem, fluxum, spatium, compositionem, aliaque hujusmodi; quæ indivisibili, & simplicissimæ Naturæ nullo modo conveniunt. *Sed ab hac similitudine secernenda imperfecta.*

Sed quid ego, & quousque ista? quid, inquam, vel digito tangere, vel palmo metiri cœlum, vel certè mare in scrobem satago effundere? Desino: nec irrito conatu fatigo ultra mentem, tantæ imparem Majestati; quæ fide, & silentio adoranda est. *Conatus ultra scrutādi reprimitur.*

Adoro te ergo toto animo, Trinominis Divinitas: & quia posuisti tenebras, latibulum tuum; in adyta tua absconsa, & tibi soli nota, non ultra penetro. Sed cum Sanctis, qui tibi assistunt, faciem velo: & oculos mentis meæ, debiles ad hunc solem, obtego; & unà, cum loco hoc, claudo. *Et debita adoratione locus clauditur.*

Pars Capitis Altera.

Ut erga nos est Deus. Ubi Creationis primùm, & post Missionis ad nos Divinarum Personarum ineffabile beneficium expenditur: ex quo manarunt Triplicia dona, Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ.

Deus ipse sibi sufficit. APparet evidenter ex superiori Tractatione, Deum unum Natura, & trinum Personis, sibi abundè sufficientem esse; nullius rei, quæ extra illum est, indigum: ante omnem Creaturam æquè beatum; & post illam productam, nulla re auctum. Nullius ergo sui commodi causa esse voluit, & existere universum hoc: & se impertiri decrevit rebus creatis ideo tantùm, ut benè illis esset. Elucet verò, & eminet maximè, & præcipuè, hæc omnipotens & omniscia bonitas, seu voluntas ejus, in Creatione Naturæ rationalis. Etsi enim cuncta, quæ produxit; vidit, quòd essent valde bona; ideoque & bene omnia fecit; & omnibus benefecit: non tamen æquè illi Naturæ, quæ se esse nescit; ut illi, quæ se esse, cum tot dotibus miratur,

Nec ullà creaturà eget.

Produxit illã, quia bene ei voluit.

Præcipuè rationalē.

tur, agnoſcit, gaudet. Natura verò hæc, Angelorum eſt, & Hominum. De Angelis non eſt noſtri argumenti. Homo autem, quæ ab illo tulerit bona, Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ; pro modulo Scripti, paucis videamus: cum cura tamen, & attentè; exinde enim manat cultus & amor, quo erga Deum, lege gratitudinis, immensùm tenemur.

Quæ ſola ſe eſſe agnoſcit.

Et agnoſcere debet, triplicia ſibi data dona.

DONA NATURÆ.

ORdior meritò à Donis Naturæ, & Origine ipſa noſtri: quando prima hæc eſt gratia, primumque Dei beneficium, quòd nos voluerit eſſe, & exiſtere. Tria hic perpendam: ſtatum nempe Naturæ noſtræ; Deinde corpus; Poſtremò Animam.

In donis Naturæ.

Status, ſeu Conditio humana, quòd omnibus, quæ Deus ſex Dierum ſpatio produxit, antecellat; patet evidenter. Hominem etenim velut ſummam, & culmen operum, ultimò produxit. Præparata primùm ornataque mundi manſione, velut hoſpitem eum, imò Patrem familias, ac Dominum in hanc Orbis machinam introduxit: Paradiſi volu-

Cōditionem humanam.

Quæ ſublimis, & eximia.

ptatis habitatorem illum fecit: Quæ ante eum facta sunt, ejus usui addixit: præesse, ac dominari jussit omnibus: Compendium denique in illo Naturæ Creatæ inclusit. Nam est corpus, ut Elementa: vivit, ut arbores: sentit, ut animalia: Ratione gaudet, ut Spiritus. Præterea αὐτεξούσιον eum fecit; id est sui arbitrii, suæ spontis ac potestatis; ac denique immortalitate dotavit. Eximius itaque status ejus est. Unde non malè hominem, parvum mundum; Mundum, Magnum hominem vocavere: sed profectò superat hoc elogium; & Mundo visibili potior, & præstantior est.

Et compendium creaturæ.

Corpus ei par.

Ad Statum autem tantæ dignitatis, aptavit illi par corpus; aut potiùs (ut loquitur Scriptura) formavit. Nam alia, jussu tantùm & imperio, velut fudit productione: hoc dum formasse dicitur; elaborasse videtur cum diligentia, elegantia, venustate; idque seorsim ab anima, & separata functione. Deinde, de aliis dixit, & facta sunt: hic; faciamus, ait: quod consultationis est, & destinati cum cura operis; ut nempe Dominus omnium esse possit,

A Deo velut elaboratũ.

qui

qui propriè factus à Domino, inquit Tertullianus.

Refert verò, ac repræsentat hanc curam, Opus ipsum: ejusque forma, & statura erecta, ad cœlum vergens; liberum nescio quid spirans; speciem natam ad imperium, & dominationem præferens; contra quàm animalia cætera; quæ prona ad terram, statum servilem, submissum, & ad humum humilem, abjectumque habent. *Magna venustate.*

Jam, quæ aptitudo, quæ symmetria, quæ compositio membrorum? Nullum est, quod non & eximiæ necessitatis causam habeat, & decoris. Vel solius certè manus, quæ homini tantùm data, varium usum, quis satis explicet? Hæc est instrumentum omnium operum, quæcunque mens humana vult moliri: hæc sustentationis ministra: hæc tutela vitæ: hæc experimentum virium humanarum; quibus regit, ac domat se inferiora: hæc cultura artium, ac elegantiæ omnis fabra, & opifex: hæc denique est; cujus admiratio, nescio cui, ad testimonium Divinitatis suffecit. *Symmetria, & aptitudo membrorum.* *Et præcipuè manus.*

Quid verò abdita illa corporis scruter? sensus nempe, miri artificii organa: *Sensuum organa.*

& præ-

& præsertim oculorum, qui vigiles, velut in specula, constituti sunt animi indices, & mentis quidam prodromi. Quid facultatum; naturalis, (ut vocant;) vitalis, animalis, in hepate, corde, cerebro, admirandas officinas? quid sexcenta alia, nunquam satis cognita laudataque? in quibus, nec pro modo Scripti, nec pro argumento, sit prolixa, & diffusa dissertatio.

Facultatum naturalis, vitalis, animalis, officinæ.

Ad Animam ergo potiùs transeo; ubi propria imago, & similitudo Dei spectatur, ac elucet: ad quam, se fecisse hominem, Deus ipse professus est. Hanc similitudinem variè proponunt Sancti Patres; sed inter illos Ambrosius, & Augustinus præcipuè; ad tres Divinitatis Personas Memoriam, Intellectum, Voluntatem aptant: etsi non eo similitudinis modo, cujus ego aliquoties memini in hoc Scripto; & quem puto, ex adyto ipso Naturæ depromptum.

Animæ præstãtia.

In illa imago divinitatis.

Tres enim hæ facultates, una anima sunt. Et quia insitæ ejus essentiæ, & naturales; ideò coessentiales, atque adeò pares sunt: & Ordinem tantùm, ut

Et in memoria, intellectu, volũtate;

ut ſupra dixi, Originis habent; eumque talem. Fixa Memoria in uno; (alioqui niſi in uno conſiſteret, non conſtaret ſibi; & non Memoria una, ſed phantaſma multiplex eſſet:) fixa inquam in uno, Originem præbet conſiderationi iſtius Unius; id eſt Intellectum producit Veri; ex utroque autem Voluntas procedit, ſeu quies in Bono. Quid enim aliud videat, noſcat, appetatvè Anima; quàm Unum, Verum, Bonum? Deinde, quomodo plenè videat, noſcat, appetatvè, ſi non tota? quomodo autem tota; ſi non ſimul, & æquè per Memoriam, Intellectum, Voluntatem? *Trinitatis ſpecimen.*

Patet itaque: hiſce tribus, tres Perſonas Unius Divinitatis repræſentari. Patet, Animam humanam, hac ſimilitudinis prærogativa, ad Divinam aſſurgere Naturam; ejuſque capacem debere fieri; ideoque meritò, tam amplis dotibus ornatam, dum nempe cogitatione mente, affectu, momento uno, tot res adit, noſcit, amplectitur: & hoc ipſo temporis, loci, imò univerſi metas excedit, ſeque cunctis rebus majorem oſtendit, nec poſſe ab ulla earum *Exinde ad Divinam aſſurgit naturam.* *Et in illa conquieſcit.*

rum contineri ; nec in ulla nisi in solo Deo plenè conquiescere , apertè testatur.

Sic ornata videtur ob futuram Incarnationem. Ultra hoc, nihil est quod addam, præter unum : nempe ; non mirum tot, & tantis ornatam , in primo Parente dotibus, esse humanam Naturam : quæ in consortium Divinitatis , & unitionem Personæ , assumpta à Christo ; & cœlo illata esse debuit : ut statim ostendam.

DONA GRATIÆ.

Per Missionem Divinarum Personarum.

Non contentus Deus homini dedisse, quæ extra ipsum. MAgnum itaque, & vastum profectò est, quòd in Naturæ donis , humano generi impertiit Deus: & si spectas conditionem nostram ; abundè , sat , superque : sed si ejus bonitatem , & beneficentiam ; parum. Infinitum enim bonum, haud potuit beneficam suam vim explere , largitione eorum , quæ extra illud sunt. *Se ipsum dedit.* Itaque, ut satisfaceret bonitati suæ, se dedit.

Votum: ut ex merito. Utinam verò genus humanum, non ut solet, sed ut par est, expendat : quid hoc,

hoc, quantumque est; quod Deus, in ejus bonum est molitus; cùm in terra visus, & cum hominibus conversatus est, & habitavit in nobis; & vidimus gloriam ejus: nempe Deum manifestum in carne; qui visitavit nos Oriens ex alto: Missionem hanc, inquam, primam; quæ est per σαρκοποίητον λόγον, seu per Verbum carnem factum: Alteram deinde; quæ per adventum Paracleti Spiritus Sancti, agnoscamus: & ab utroque mare immensum gratiæ Divinæ expendamus.

expendetur.

Missio Filii.

Missio Spiritus Sancti.

Quod ut probè fiat; inprimis, quid sit in Divinis Missio, necessarium est noscere. Non enim est, ne quis erret, de loco in locum migratio: (hoc enim Deo, qui ubique est, non convenit:) sed est ejusdem semper, immoti, & immutabilis Dei, facta hominibus in tempore, sui manifestatio. Id ergo est Missus, quod visus; id Missio, quod apparitio.

Utraque non est de loco migratio.

Sed apparitio.

Porrò temporalis hujus Missionis ratio, & modus, manat ex Origine, ac Processione illa æterna, quam, cum de Trinitate agerem, deduxi.

Modus Missionis manat.

Sicut enim Pater genuit, & Filius genitus

Ex gene-

ratione, & processione æterna. nitus est; ita Pater mittit, & Filius missus est: & sicut à Patre, Filioque procedit Spiritus Sanctus; ita ab utroque Missus est. Interim, hæc Missio non est (inquit Divus Augustinus) inæqualitas substantiæ, sed Ordo Naturæ: quamvis enim utraque Persona se nobis manifestavit; utraque tamen immota mansit, in una cum Patre Divinitate, & essentia.

Oeconomia Incarnationis. Hujus Missionis in Christo Oeconomiam, seu modum, dispositionemque, Ecclesia Catholica ejusmodi profitetur. Nempe; Secunda Divinitatis Persona, quæ est Filius, æqualis & Coæternus Patri; cùm venisset plenitudo temporis; illi soli nota, qui novit, & constituit tempora; nasci ex Virgine voluit: & assumpsit Naturam humanam, totam & integram, ex anima & corpore constitutam; eamque Naturæ *Christus verus Deus, verus Homo.* Divinæ univit: ita, ut duæ Naturæ, & una Persona, esset Christus; Verus Deus, Verus Homo.

Duæ naturæ, una Persona. Duæ inquam in Christo sunt Naturæ. Si enim una tantùm statueretur; ea vel Divina, vel humana esset. Si Divina tantùm; non esset homo: si humana

tan-

tantùm ; non esset Deus. Quem tamen, Deum & Hominem, Sacra Scriptura, & gesta ejus loquuntur evidenter: partim enim Divina prorsus, partim verò humana tantùm, operatus est.

Si verò dicas unam Naturam, ex duabus compositam, conflatamque; Id fieri nequit, sine alterutrius vel interitu, vel imminutione: & necesse, ut vel Divina degeneret in humanam; vel hæc ab illa absorpta, & absumpta sit: Atque ita neutra integra; sed nescio quæ nova, mixta, & imperfecta. *Nec mixta, nec divisa.*

Duæ ergo sunt Naturæ: & ideò dispares, & cuique propriæ, ac peculiares sunt affectiones; atque functiones. Unde nasci, lacte ac cibo ali, carnis necessitates sustinere, ac sustentare; pati denique ac mori, humanum. Mira verò vi propria facere: morbis, morti, mari, ac ventis imperare; dæmonis regnum evertere; non peccasse unquam nec peccare posse; peccata verò aliis dimittere; cogitationes nosse; animis nostris (nempe ut in illum credamus) imperare; Divinum. *Dispares naturarum functiones.*

Etsi verò functiones istæ, utrique Naturæ separatim peculiares; attamen *Tamen tanquam de una*

ob

prædicari possunt. ob unitatem Personæ, tanquam de una Persona meritò prædicantur. Inde est: quòd etsi Deus ἀπαθὴς, ὅτι ϗ ἀσώματος: tamen quia Corpus sibi, ut proprium assumpsit; ideò Deus passus dicitur. Unde Petrus, Christum in carne passum, & Paulus Dominum gloriæ Crucifixum, dixere. Et Maria Θεοτόκος; & Nativitas Christi, vel Apparitio, Θεοφανεία rectè dicitur: ex prærogativa nempe Personæ, cui Divinitas inseparabilis est.

Impatibilis.

Ob unionem hypostaticã.

Deipara. Dei nativitas.

Causæ Incarnationis.

Sic explicata Oeconomia Incarnationis; Causas, cur Deus mirum hoc voluerit, effeceritque; non pigebit recensere, cum piis, Sanctisque Patribus: quorum pulcherrima utriusque linguæ loca Dionysius Petavius, mira profectò peritia, industria, ac diligentia collegit. Videamus ergo, depromamusque ex hac penu inprimis Finem, quem sibi proposuit Deus: Convenientiam deinde, qua eum est executus: denique Necessitatem ejus.

Nẽpe Finis ejus, convenientia, necessitas.

Finis est gloria Dei.

Finis omnium Dei operum, etsi passim, & verè assignatur Gloria ejus: cùm præter hanc, nihil aliud ad eum, ob collata creaturis beneficia, redundet,

ac

ac redeat : attamen cùm hæc ipsa Gloria, quæ est laudantium consentiens vox, & nihil in se solidi fructus habeat; & etiamsi haberet, tamen Deo sibi sufficienti addere nihil posset : Ideò dicendum est ; quòd etsi Gloria necessariò comitetur opera ejus ; tamen finem eorum non esse aliquod ex illa emolumentum ; sed solum Naturæ beneficæ, ut ita dicam, gustum : dum bene fecisse, & amat unicè, & gaudet; & fructum ex se, & facto suo capit. Infinitæ inquam Bonitatis ejus, in benefaciendo (ut ita dixerim) satietas, finis est : quòd apparuerit benignitas, & humanitas Salvatoris nostri Dei ; ut tam dissitam, & conditione, & culpa, naturam assumere, & reparare voluerit.

Aut quædam Bonitatis, & beneficentiæ satietas.

Hæc eum impulit Primùm ; ad sui Conjunctionem : quæ major esse non potest, quàm in hoc Incarnationis Mysterio ; cùm Deus Homo factus est, ut Homo fieret Deus. Deinde ad opitulationem : quæ tantò major est, quantò magis miseris subvenit, nec sese juvare valentibus. Denique, ad profligandam mali Dæmonis sævitiam ; qua exerce-

Et hinc maxima, quæ possit esse, communicatio.

Opitulatio.

Vindicatio à Dæmone.

ercebat regnum, fraudulenter victi, in primo Parente, generis humani.

Convenientia Autoris. Hic ergo finis est admirandi hujusce Operis. Convenientia sequitur: quæ ostendit; à nullo; (præter Deũ ipsum) convenientiùs hominem vindicari debuisse. Magis enim obligaretur homo Creaturæ id sibi præstanti, quàm Deo.

Nempe nullius, prӕterquã Dei. Cui itaque debemus (inquit Divus Augustinus) quòd sumus; meritò illi convenit debere, quòd post lapsum, justificati sumus.

Idque secũdæ Divinitatis, Personæ. Si autem Divinitati competiit nos vindicare: conveniebat; ut id secunda ejus Persona, id est Filius, exequeretur. Ab illo enim nos decebat refici; per quem nos, & omnia facta sunt. Deinde, Filius est propriè imago Patris, & figura substantiæ ejus: per hunc itaque, amissa in nobis imago Dei, restitui debuit. Qui cum assumpserit hominem, non in unitatem Essentiæ, sed in unitatem Personæ: sequitur; quod etsi Trinitatis una sit actio; Personæ tamen Filii, propria hæc sit assumptio.

Modi Cõveniẽtia. Post Convenientiam Authoris, non minùs elucet Convenientia Modi. Expediebat enim apparere, & manifestari homi-

hominibus Deum: apparere verò non potuit, nisi velo corporis contectus; quando ne Moysis quidem faciem mortales oculi sustinere potuerint, recenter à Deo venientis. Si autem corpore tegi debuit; nullo convenientiùs, quàm humano. Decuit deinde, in hac Natura Dæmonem vincere, quæ à Dæmone victa est: Major enim exinde certaminis, ac victoriæ, & æquitas, & gloria.

Ut in carne nostra.

De fæmina etiam nasci, itidem consentaneum fuit; Nam ut per mulierem primam mors; ita salus per alteram. Et ut Eva culpæ Mater; ita gratiæ, *Maria*. Ex Virgine autem: quia noviter nasci debuit novæ Nativitatis dedicator; per quem homo nascitur in Deum, quia Deus in hominem natus est. Deinde; Virgo adhuc erat terra, nec ullo attrectata opere, ex qua formatus Adam: ideò alter, & novus Adam, itidem ex Virgine. Et, sicut æterna generatio sine Matre; ita quæ in tempore Nativitas, sine Patre: ut nempe una Persona, & binos tantùm, & convenientes Naturis, haberet Parentes.

Ut de fæmina.

Eaq; Virgine nasceretur.

Neq; verò indecorum, Deum assumpsisse carnem. Nam qui de limo fecit

Nõ indecorũ, quod

carnem assumpsit. hominem; quis arguat, quòd per carnem refecit? attrectavit primum, cur non susciperet alterum? si enim non verè suscepisset, quis eum verum hominem dixisset? si autem verus homo non fuisset, quæ causa simulatæ Naturæ? quorsum, inquam, homo, non tamen homo?

Et quòd infirmitates nostras portavit. Nec dedecet, quòd infirmitates nostras ipse portavit. Sustinuit enim non impositas, sed assumptas: sustinuit; non succubuit: hoc enim imbecillitatis esset; illud Fortitudinis, & Virtutis. Subiit ergo dolorem & mortem: quia & in dolore tolerando, & in morte subeunda, Virtutum officia versantur: quæ Magister, & Præceptor perferre debuit; ut ostenderet perferri posse: nec repugnare id mortali, fragilique Naturæ; quod, eam indutus, fecit ipse.

Tertia Convenientia temporis. Tertia Convenientia est Temporis: quæ etsi illi soli cognita, qui cuncta fecit in tempore opportuno: attamen post correctum genus humanum, lege promulgata; post præmissa de se Prophetarum testimonia; & mira opera adstruendæ sui notitiæ facta; dum me-

dium silentium tenerent omnia, & pacatus per Augustum Orbis esset; dum ultima Monarchiarum Roma, ad summum perducta fastigium, & arx omnis superstitionis est facta; dum Hierosolyma in mores gentium paulatim transiret; dum Synagoga in sectas scissa philosopharetur, & Platonem aut Zenonem potiùs, quàm Mosem saperet; dum per idololatriam toti Orbi princeps mundi hujus imperaret: ut tandem eiiceretur foras, & regnum peccati destrueretur; nasci in hominem Deus commodum, opportunum, & conveniens judicavit.

Cujus idoneæ causæ recensentur.

Convenientia monstrata: jam, (ut promisi,) Necessitas Incarnationis ostendenda est. Quæ nulla equidem absoluta, antecedens, & cogens Deum, dari potest; dari tamen potest congrua, & consequens: Nam Deus semper vult fieri, quæcunque verè convenit fieri. Et sicut, quantumlibet parvum inconveniens, est illi impossibilitas; ita justa ratio, est illi consequens necessitas. Has itaque consequentes necessitates ex sensu Sanctorum Patrum recensebo.

Necessitas Incarnationis.

Non absoluta.

Sed consequens.

Prima est, quia peccatorem redimere nõ potuit, nisi peccato non obnoxius.

Prima autem est. Quòd non potuerit genus humanum in Peccatum lapsum, reparari, nisi ab eo, qui & peccati, tam Originalis, quàm commissi, seu (ut vocant) Actualis expers, & ἀναμάρτητος omnino, id est, ut ita dicam, impeccabilis esset. Non enim subvenire peccato potuit simili peccato semel nexus, & semper obnoxius: nec intervenire pro sceleratis servis complex, & adstrictus jugo servitutis: nec satisfaciens gratus, acceptusque esse potuit, odium meritus, nec immunis à peccato. In quo igitur non erat, nec esse potuit peccatum, ipse venit auferre peccatum. Nam si in ipso quoque fuisset, aut esse potuisset peccatum; auferendum illi foret, non ipse auferret.

Altera, quia satisfactio plena esse nõ potuit, nisi ab Homine Deo.

Altera consequens Necessitas Incarnationis est. Quòd offensa, ac injuria Dei, à genere humano placari, ac compensari debuit justa satisfactione; satisfactio autem justa, ac perfecta est, quæ totum quod tenetur, liquidò & planè exolvit, sine ulla condonatione. Talem autem nec homo, nec Angelus præstare Deo potest: nihil enim uterque habet, quod de suo, in solutionem

ei

ei imputet. Qui itaque eam præstaret; necesse est, ut communi, & pura Creatura major esset: Nihil autem tali Creatura majus, nisi Deus homo factus.

Tertia Consequens Necessitas petitur ex magnitudine, & atrocitate peccati. Quod est ideò infinitè malum, quia adversum, & ex opposito contrarium infinito bono. Tolli itaque non potuit, nisi ab infinitè digna, id est, una cum Deo, imo ipsamet Divina Persona: quæ & texit, quà sine labe homo, infinitã vilitatem offendentis: & æquavit, quà Deus, infinitam Majestatem offensi: condignus inquam Mediator, & sequester pacis Christus; imis summa conjungens, & faciens utraque unum. Interventu nempe suo, velut ponte quodam, terrena cælestibus, humana conjunxit Divinis; quæ absque illo conjungi nullo modo poterant.

Tertia: quia infinita culpa infinitis erat meritis pēsanda.

Quartò adstruitur Consequens Necessias exinde. Quod si ne in pristinum quidem statum redire per se potuit genus humanum; quantò minùs æternam felicitatem mereri, & obtinere? eam verò cum homini destinasset, & præparasset Deus; necesse fuit, ut

Quarta: quia si homo veniã nõ potuit mereri, quantò minùs præmium.

præstitisset: præstari verò prævaricatori justè non potuit, nisi & post satisfactionem; & ob meritum: solvere autem, ne dum mereri, non erat virium humanarum. Itaque ipsum, humanitate assumpta, & abolere culpam, & præmium hoc ingens mereri, oportuit; per quod Filii Dei nominamur, & sumus: si autem filii; & hæredes gloriæ ejus: hæredes inquam Dei, cohæredes autem Christi.

Necessitates has approbavit successus.

Hasce necessitates videtur Deus eo ipso ostendere voluisse; quòd etsi magna, & eximia multa, reparandi hominis causa, consultò præmisisset; frustra tamen omnia, nisi hoc Incarnationis mysterio completa, fuissent. Non quòd non essent Dei simul, & statim, perfecta opera; sed ut manifestiùs, & morbi, & remedii magnitudo pateret.

Qui non secutus ex lege Naturæ.

Gradus verò hujus operis hi fuere. Primùm; videns Deus, quòd multa malitia esset hominum in terra, ad malum omni tempore: ut mederetur tam gravi morbo; Legem Naturæ, insculptam semel in cordibus nostris, & nunquam deleri penitus passus est; & semper redintegravit; manifestatione sui, allocutio-

cutione, admonitione, præceptis, somniis, signis, præmiis, ac pænis: quæ cuncta in Patriarcharum, & Prophetarum gestis spectantur.

Deinde; cùm hæc non sufficere viderentur; Legem scriptam promulgavit: ea Majestate, quæ talem, tantumque legislatorem deceret: qua de re in tertia parte capitis hujus dicetur uberiùs. *Nec ex lege scripta.*

Tertiò; addi forsan potest: non jam Israelitis tantùm datum; sed per gentes sparsum, & optimis quibusque ingeniis insitum, sapientiæ studium: per quod impressas, innatasque mentibus nostris Veri notiones, ad artis & scientiæ modum perducere conati sunt multi: idque sæpe haud irritè; ut testantur non pauca, quæ vetus Philosophia prodidit, arcanæ profectò, & abditæ veritatis. Id verò, etsi absque adminiculo apertæ revelationis; non tamen certè sine Divino instinctu, & occulta quadam mentium, velut manuductione. Non enim alius, sapientiæ has scintillas spargere potuit, nisi Sapientia ipsa; id est Deus. *Nec ex dictamine Philosophiæ.*

Tria

Tria hæc non juverunt corruptum, genus humanum.

Tria verò hæc, etiamsi eximia, non attulere tamen plenam generi humano medelam. Nam Lege Naturæ, & Scripta, nunquam ita cultus Veri Dei obtinuit, ut πολυθεία, & idololatria tolleretur; nec Judaismus Dei Veri notitiam ad gentes transmisit. Unde, Deus Israelis vocatus, qui omnium esse debuit: & ignoratus ubique; & tantùm notus in Judæa Deus. Philosophia verò multò minùs id præstitit: dum aut non firmiter unum authorem, & rectorem universi docuit; aut si docuit; (ut forsitan secta Stoica:) nullo tamen fructu ad cultum eius: imò adeò eum insuper habuit; ut ei Sapientem suum vel æquaret, vel præferret. Immortalitatem autem animorum nulla prorsus professa est, aut firmiter asseruit. Neque id mirum: sicut enim (inquit Augustinus;) oculus absentia, id est à sensu remota non videt; ita mens humana, invisibilia & æterna, quæ ultra captum ejus sunt, non agnoscit. Uti verò, quæ scire, quæ videre non possumus; illis credimus, qui sciunt, qui viderunt: ita Divina & æterna, à Deo æterno tantùm didicisse oportuit.

Itaque:

Itaque : ut ultima tandem manus imponeretur tanto operi ; postquam Deus multifariam , multisque modis olim locutus esset Patribus , in Prophetis ; novissimè loquutus est nobis in Filio : & docuit nos omnem veritatem ; per eum , qui est Via, Veritas, & Vita . Ita ut jam totum genus humanum, Deum Verum ; ejus Providentiam ; & demum vitam æternam agnoverit , crediderit que ; eaque obtinuerit salutis subsidia , quæ recensui compendio, cùm de Gratia tractarem ; & quæ dicam infra uberiùs : ad quæ loca , ne tautalogus sim , meritò Lectorem remitto .

Itaq ; ultima imposita manus.

Incarnatione Dei.

Cujus fructus ante recensiti.

De altera , nempe Spiritus Sancti Missione .

SEquitur jam altera manifestata nobis Missio Tertiæ Divinitatis Personæ , nempe Spiritus Sancti ; pari compendio , eodemque ordine tractationis explicanda .

Oeconomiam ejus Ecclesia Catholica profitetur talem . Post perfectum , consummatumque redemptionis nostræ opus , quod Filii Persona implendum

Oeconomia missionis Spiritus Sancti .

dum ſuſceperat; cùm idem Redemptor rogaret Patrem, ut alium Paraclitum daret nobis, qui maneret nobiſcum in æternum: & rogatu ejus, & meritis, venit Paraclitus Spiritus Sanctus; quem miſit Pater in nomine ejus. In nomine, inquam, ejus: ſicut enim in æterna illa Proceſſione, à Patre Filioque originem habet; ita & ab utroque temporalem miſſionem. Quæ tum primum manifeſtata nobis; cùm Filius opus conſummaſſet, quod illi dedit Pater ut faceret: ante enim non erat plenè Spiritus Sanctus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus.

Qui à Patre, Filioq; miſſus.

Acceperunt ergo credentes, virtutem Supervenientis Spiritus Sancti in eos, tum primùm; cùm complerentur dies Pentecoſtes, & eſſent omnes diſcipuli pariter in eodem loco. Factus enim tum repentè de cælo ſonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis; & replevit totam domum, ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis; ſeditque ſupra ſingulos eorum.

Narratio hujus Miſſionis.

Miro tum, inquam, modo communicationis, per infuſionem quandam, & il-

Per quã ſigillum ſanctitatis.

& illapsum Substantiæ suæ, impressit Spiritus Sanctus velut sigillum, ac formam sanctificationis animabus credentium. Ante hunc diem Patriarchis, & Prophetis, quin imò & Apostolis, per Operationem tantùm, & effectionem charismata sua largitus est: tum verò demum personaliter, & substantialiter, non dona tantùm sua, sed seipsum infudit; ut Scripturæ loca evincunt, cùm eum nobiscum manere, in nobis habitare, nos templa ejus esse, & denique ut pignus, & arrhabonem, eum habere testantur. Quæ cuncta substantivam, & personalem insessionem declarant; factam non tantùm per gratiam Operationis (inquit Augustinus;) sed per ipsam Divinitatis ejus præsentiam: ita, ut in vasa cordium, animarumque (inquit idem;) non jam odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxerit unguenti. Cujus conjunctionis peti similitudo potest à mistione metallorum, vel olei cum cera; vel cùm aquæ vinum infunditur.

Tùm primū personaliter descēdit ac substantivè insedit animas Spiritus Sanctus.

Cujus rei exempla creata.

Non est tamen ea unio, quæ ex duabus Naturis in Christo. Ibi enim à Deo in unitatem Personæ assumpta Humanitas;

Communicatio hæc differt ab unione hypostatica.

nitas; hic Humanitati communicata Divinitas: ibi uni, & individuo homini propria; hic pluribus æquè impertita: per illam Homo verus, Deus verus; per hanc in filios Dei hominum adoptio; non Spirituum, sed Spiritualium. Unde ibi naturalis unio; hic habitualis tantùm.

Causa hujus Missionis bonitas Dei

Causam Missionis istius, Divinitas non aliam, quàm in Incarnatione habuit: nempe beneficæ Naturæ suæ vim, & se communicandi insitum appetitum. Per hunc, ut à Filio facta copiosa redemptio; ita à Spiritu Sancto Sanctificatio nostra.

Et sanctificatio nostra.

Quæ non potuit esse nisi à Deo, unde Autoris convenientia.

Nã creatura non potest quid supernaturale producere.

Non enim hæc ab alio esse potuit, quàm à Deo. Nam Sanctificatio, est animi humani, supra ejus vires naturales, gratis effecta capacitas; quæ Deo plenos, ejusque consortes naturæ efficiat. Creatura itaque non potest sanctificare Creaturam; quia quod Naturale tantùm est, Supernaturalem effectum non producit. Deinde; nulla res potest animum, ejusque recessum ingredi, præter Deum. Ille solus scrutans corda, alioqui imperscrutabilia. Illi uniri; in illum tantùm possumus

mus transmutari, (ut supra cùm amoris vim demonstrarem, explicavi.) Ille denique solus est, dominus & arbiter mentis nostræ; quam semper adire intimè potest, ejus facultates ingredi, & quòcunque vult, movere, ac ducere. Itaque largitio sanctificationis, est munificentia Divinitatis.

Nec animum ingredi.

Quod solius Dei est.

In Divinitate autem proprium, & peculiare id tertiæ Personæ, id est Spiritui Sancto. Causa est, quia illius æterna Processio à voluntate ortum ducit; voluntati autem ita Sanctitas annexa, ut intellectui Veritas. Unde Personalis hic character Spiritui Sancto; ut sit Author Sanctificationis.

Sanctificatio propria tertiæ Personæ.

Deinde; ille non natus nobis est, sed datus; idque ideo, quia amor, origo & causa doni. Spiritus Sanctus ergo propriè Donum, quia amor: Donum autem non aliud, nisi Sanctificationis: nam præter illam, à Deo amante donari nobis minus non decuit; majus non potuit. Hoc accepto; contingit summum homini bonum: hoc dato; impletur summus Dei amor.

Quia à Deo amãte orta.

Tertiò; cùm se generi humano ita profudit Divinitas in Incarnatione Filii;

Cui velut aditum fuit Incarnatio.

lii; quidni faceret idem in tertia Spiritus Sancti Persona, cujus proprietas, Bonitas, & Charitas est? Cùm Filius non modò reparasset, & in integrum restituisset naturam humanam; sed etiam hypostasi sua ornasset, & velut aptam amori infinito reddidisset: quomodo non rueret ille in communicationem? non aliter, ac ignis admotus in Materiam accendi, & ardere promptam. Si Sapientia æterna eò se demisit; ut non Spirituales Substantias, & Angelos, sed carnem, & semen Abrahæ apprehenderet: quidni delaberetur Bonitas infinita, & effunderetur itidem super omnem carnem, jam Divinitatis consortio, & unione nobilitatam, & ut in Spiritum verteretur, facilem paratamque? Meritò itaque, hisce de causis, æterna Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis: ut Bonus bonos, ut Sanctus sanctos efficiat.

Et Sapientiæ exemplū, Bonitas subsecuta.

Post Convenientias Authoris, sequitur Modi congrua, & consummata præstantia. In igneis enim linguis Spiritus Sancti Missio apparuit: convenienti profectò, æstui illi æterni amoris, & vim

Convenientia modi. In igne apparuit, quia amor est.

vim ac efficaciam ejus repræſentante Forma. Quid enim amori, igne ſimilius? utriuſque natura ardens, & flagrans eſt. Miſit itaque Pater, & Filius, ſacrum hunc ignem in terram: hoc utique fine, ut accenderetur, & arderet; ut fervens in nobis deſiderium ſui faceret, & cum flamma ſurſum elevaret; ut ſcoriam animorum purgaret, vitiaque exureret; ut denique mentes, affectibus terrenis facilè cæcas, illuſtraret; ac lucis ſuæ radio illuminaret.

Ut accēderet, purgaret exureret.

In linguis etiam apparuit, & ſtatim poſt deſcenſum ſuum largitus eſt earum notitiam; cum admiratione enim omnium maxima, rudes, ignari, indocti, imperiti, cæperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis: ut nempe, quemadmodum conatus ſuperbiæ, & vanus elatuſque Spiritus, confudit linguas; ita Spiritus Sanctus eas uniret, & hoc neceſſario inſtrumento Apoſtolos ad prædicationem Veritatis redderet idoneos.

In linguis apparuit.

Quia largitus imperitis earum notitiam.

Præterea, impleti Spiritu Sancto variis linguis loquimur; dum in Pſalmis, & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus puras manus levamus; laudes & gratias

Quia nos docet loqui in Pſalmis Spiritualibus.

gratias agimus, prædicantes magnalia Dei. Denique, Verbum æternum nobis manifestatum est, dum Verbum Caro factum est. Compotes ergo Verbi, ut illud loqueremur; Spiritus Sanctus, qui suggereret nobis omnia; & cujus unctio doceret nos omnia, in linguis igneis venit. Ut quia pollutis adhuc labiis loqui abbreviatum hoc Verbum non potuimus; velut candente illa (ex Isaja) pruna, seu calculo, labia nostra pura, & munda redderet; & linguas nostras, humana tantùm balbutientes, & ad Divina mutas, novo calore ac spiritu ita animaret, instrueretque; ut loqueremur rectè.

Ut loquamur rectè Verbum, quod Caro factum est.

Tertia est Convenientia Temporis: sed ea jam in ipsa Oeconomia Missionis explicata est. Nempe, post Redemptionem impletam, convenienter Sanctificatio perfici debuit: & cùm ascendit, qui descenderat; misit, quod promiserat; & dedit dona hominibus. Nisi enim ascendisset, priùs consummato opere; meritis ejus obtentus Paraclitus non venisset ad nos. Ergo commodè Redemptionem Sanctificatio secuta est.

Convenientia Tēporis.

Nempe post redēptionem sanctificatio.

Necessitas demum Missionis istius expen-

Necessitas hujus

expendenda restat: Ea autem est nostræ miseriæ: etsi enim redempti à Christo; non tamen relicti sine hoste: cum quo dum vivimus, continuè nobis pugna. Voluit nempe certamen nobis esse; ut esset meritum, victoria, & corona. Hostis primus Caro est: quæ adversatur ita Spiritui; ut ille olim, in homine non mansurum se dixerit, quia caro esset. Contra hunc ergo continuum, & domesticum hostem; præsidium unicum, intima Spiritus Sancti in nobis mansio. Quam & promisit Deus, cum dixit; Effundam Spiritum meum super omnem carnem: & præstitit; cùm Spiritus Sanctus supervenit in nos. Ita, ut quod ex carne natum, caro erat; id nunc natum ex Spiritu, unus cum illo Spiritus efficiatur.

Missionis primùm ex nostra indigentia.

Contra carnem, quæ spiritui cōtraria.

Necessitas ejusdem Miseriæ altera est, ab hoste altero, nempe Dæmone: cum quo etiam major multò, quàm cum carne colluctatio. Adversarius enim hic noster, non modò tanquam leo ferox inhiat nobis; sed etiam, ut callidus serpens insidiatur calcaneo nostro. Porrò, cùm ille spiritus; ideo

Altera, contra spiritualia nequitiæ.

Nobis enim inhiant, & insidiantur.

necesse fuit firmari nos, & tutari Spiritu Sancto: qui ab ejus potestate, & servitute eriperet; & in libertatem Filiorum Dei vindicaret: nam ubi Spiritus Dei, ibi libertas.

Tertia, quia eramus orphani post Christum.

Ultima Necessitas est: quia orbati per Ascensum Christi, indigebamus Paraclito, seu Consolatore animarum nostrarum. Qui igitur dixit, non relinquam vos orphanos; providit hunc Tutorem: & suis meritis obtinuit, & unà cum Patre præstitit, ac misit. Et; sicut æternus Pater ita dilexit mundum, ut ei Filium suum unigenitum daret; ita ille cum Patre, dilexit quoque eum usque in finem: dum ambo, à se utroque procedentem donarunt Spiritum Sanctum, semper nobiscum mansurum; & assiduum nostri Rectorem, & Protectorem.

Et assistete Spiritu S. egebamus

Utriusq; Missionis ingens erga nos dignatio.

Hæc sunt, quæ strictè recensui, utriusque Missionis immensa prorsus, & infinita Dona Gratiæ; quæ non modò fando complecti nemo dignè potest; sed ne cogitatione quidem, ac mente assequi. Ad quæ stupent Angeli, & mirantur tantam dignationem generis humani; dum se tota illi infudit Divini-

vinitas. Quin imò, si tangi possent invidia; quererentur homini, velut minori, & prodigo filio, præ se, & Natura sua, talia ac tanta data, concessaque.

Angelis penè invidēda.

Itaque exinde, quid sit muneris, officiique nostri, dignè æstimemus: magna quippe accepimus, & naturæ nostræ modum longè supergressa; quæ ut dantis magnitudinem testantur, ita confessionem nostræ indignitatis inprimis requirunt. Profiteamur ergò verè nos indignos, ut tanto magis crescat gloria beneficæ Divinitatis. Deinde exaltemus Dominum; & exultet spiritus noster in Deo salutari, ac sanctificatore nostro. Postremò, parem curam, studiumque, tot ejus auxiliis sumamus, impendamusque, & cooperemur gratiæ, ut compotes esse possimus (quam explicatum eo) Gloriæ.

Infinitè æstimanda.

Cum cōfessione nostræ indignitatis.

Laude Dei.

Et cooperatione gratiæ.

DONA GLORIÆ.

AD hæc enim explicanda, expendendaque, Ordo me promissæ tractationis deducit. Quorum basis, ac fundamentum duplex est: nempe Immortalitas animorum, & Resurrectio Corporum.

Eorum basis Immortalitas, & Resurrectio.

Prima, asserta in prolegomenis.

De utroque non est opus longa dissertatione evagari; Christianis namque scribuntur ista, utrumque firma fide credentibus. Et in Prolegomenis jacta jam sunt, etsi velut per transennam, solida tamen argumenta adstruendæ immortalitatis. Vitamque æternam nobis Deus promisit, commendavit, appetere suasit; & hanc præsentem, transitum tantùm ad illam, nunquam finiendam esse asseruit, docuitque; & quidem tam certò, tam crebrò, ut non sit ampliùs dubitandi locus.

Altera certa itē, & aperta, Deoq; facillima.

Resurrectionem item Corporum, ipse Resurgens, & docuit, & monstravit utique, omnipotenti Deo minimè difficilem. Nam qui potuit hominem Creare; quomodo non posset mortuum suscitare? Cùm (ut Augustinus ait) majus miraculum sit, novos semper homines nasci; quàm mortuos resurgere. Difficilius namque est, (ait Minutius Felix:) id quod non sit, incipere; quàm id quod fuerit, iterare. Quod itaque Deus præstare facilè potest; id & præstitit ipse, & deinceps præstiturum se promisit. Credo itaque, & cum Jobo scio, ac dico: quòd Redemptor meus

Credenda igitur firmiter.

vivit,

vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum; quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius; reposita hæc est spes in sinu meo.

Vivemus inquam, vivemus in æternitate, cum anima & corpore vitam alteram: &, si hanc præsentem rectè egerimus; felicem omnino, ac beatam. Quam difficile est verbis explicare, cùm notum sit illud; auris, & oculi sensum, ac experimentum; quin & captum mentis humanæ, longè superare ea, quæ præparavit se diligentibus Deus. Attamen dicenda sunt, prout in umbra tantùm, & tenui imagine tradita habemus.

Et vita altera certò expectanda

Cujus Beatæ ineffabilis gloria.

Ea verò partim ad animum pertinent: partim referuntur ad corpus. De Animo jure merito præmittam; ille enim propriè solus capax est veræ felicitatis. Huic igitur visionem Dei tribuunt; & hoc compendio totum designant, quod hominem reddere beatum potest. Neque ego diffiteor; quinimò prorsus agnosco: sed id paulò aliter,

Quæ primùm ad animum pertinet.

Vulgò in visione ponitur.

ter, quàm vulgò ſolet, explicare contendam.

Sed id accuratiùs ad facultates animæ aptatur. Primùm igitur; tota Anima Deum recipi, Dico. Cujus facultates, ſeu Potentiæ cùm ſint tres: nempe Memoria, Intellectùs, Voluntas; ideo omnes haſce à Deo repleri, & omnes plenè & pariter compotes illius debere fieri, firmiter ſtatuo; atque id ita deduco.

Memoriæ viſio tribuitur. Memoriæ viſionem attribuo: Non ex ſenſu, fateor, nuperæ ſcholæ; ſed nec cujuſquam veterum, quod ſciam; ſed, ſi inſpicis, profectò ex Natura ipſa rei. Memoria namque mihi: eſt Potentia animi, & internus ejus ſenſus; ſpecies & imagines, ſeu ideas rerum apprehendens, ac retinens. Obtinuit vulgò, ut pro Recordatione tantùm, & reminiſcentia accipiatur; ſed imperitè profectò: hæc enim, pars ejus tantùm eſt; nempe, quæ præterita revocat. Altera verò eſt, quæ in futura extenditur, & fertur; quam vocabo Cogitationem. Tertia denique, quæ præſentia aſpicit; quæ Admiratio rectè vocabitur.

Recordatione, Cogitatione, Admiratione.

Recordatio præteritorum eſt viſio. Tria hæc viſionem, & intuitum animi referunt omninò, ac repræſentant. Nam Reminiſcentia præteritorum,

quid

quid aliud est, nisi sub aspectum animi, revocatio quædam, & reductio? Futurorum deinde Cogitatio, (cogito autem à cogo, quod est veluti conago, seu conduco, & concito) est eorum, quæ ante nos, sub animi inspectionem collectio. Unde qui illa colligit, conjicitque; prospicere, & providere dicitur. Admiratio, præsentium est intuitus, & visio mera; (unde miro, olim idem quod video) quæ dum exacta est; illicium statim præbet agnitioni. Phantasma igitur, seu visum propriè ad memoriam pertinet: & id, quod prima apprehensio intellectus vocatur; non intellectus pars, sed memoria ipsa est. Confundi hæc facilè possunt, ob magnam facultatũ Animæ inter se connexionem; sed profectò non debent, & secernenda sunt. Nec Memoria ex intima actione, & operatione Animæ expungenda; quæ primas in illa partes obtinet. Estque Potentia, non modò par aliis duabus, quia illis coessentialis; sed, ut supra memini, Ordine Originis prima. Meritò itaque in beato illo statu animorum primam partem habere debet; eamque non aliam, nisi Visionem.

Cogitatio futurorũ.

Admiratio præsẽtium.

Phantasma, & prima apprehensio, Memoriæ tribuẽda.

Quæ par alijs animę facultatibus.

Imò ordine Originis prima

Visio

Visio ejus est Divinæ essentiæ. Visio hæc memoriæ, est inspectio, & intuitus quidam Essentiæ Divinæ, intimæque Naturæ ejus. Inquit enim Paulus, nos Deum visuros sicuti est: & non ut nunc, per speculum, & in ænigmate; sed facie ad faciem. Videre autem sicuti est, profectò videre est Essentiam. Et facies Dei, (inquit Augustinus) manifestatio ejus est. Videbimus ergo Memoria Essentiam Dei; & defixi erimus immota, & immobili, unius Divinitatis, & in illa totius quod est, Admiratione. *Quia videbitur Deus sicut est.*

Eam sequitur cognitio Intellectui propria. Eam verò statim consequitur altera facultas Animæ, nempe Intellectus. Cujus est, id quod memoria visu apprehendit, cognoscere, & comprehendere. Visam itaque à Memoria Divinitatem, statim ille noscere contendet, & infinitos illos thesauros scientiæ Dei ingressus, perfectissimam omni ex parte Naturam considerabit, agnoscet, confitebitur. Tunc cognoscam (inquit Apostolus) sicut & cognitus sum: cognitus autem plenè; ideo pro illa plenitudine & cognoscens.

Hæc denique volũtatem Agnitionem denique ejus, quòd Bonum per se, pulchrum, proficuum, oblectans,

lectans, & denique omni parte perfectum est; quòd consequatur Amor, & fruitio, & quies, & gaudium; manifestum omnino est: Ruit enim in hæc Voluntas sponte sua, & intrat in gaudium Domini sui, & gaudium ejus nemo ab ea tollet; quod plenum in omnem æternitatem possidebit; & sine fastidio satiabitur cùm apparuerit ei gloria: & tamen sine indigentia, sine siti, sine fame, semper appetens, & semper fruens erit. *rapit in amorem. Qui ruit in bonum.*

Sed in his difficultates binæ sunt; quæ non explicatæ dubios, & perplexos reddere possent. Cùm enim Deus ἀόρατος, id est, invisibilis sit; nemo vidit Deum unquam, ut ait Apostolus: & ille de se; Non videbit me homo, inquit, & vivet; Quæritur; quomodo à Natura Creata videri poterit? Respondeo: quemadmodum videntur invisibilia. Nempe animo. Hoc inquam, eum videbimus; sed (ut inquit Apostolus) cum apparuerit. In nostra enim potestate (inquit Augustinus) non est eum videre; sed in ejus potestate est, apparere. Nisi igitur copiam sui fecerit; nisi Naturales vires nostras juverit; *Quæritur, quomodò videbitur invisibilis? Respōdetur, quòd animo. Ex manifestatione Dei.*

rit ; non erimus capaces istius visionis: quæ est facultas supernaturalis, Divino auxilio data animæ humanæ, alioqui ad intuitum Divinitatis debili, & infirmæ.

Quod incomprehensus sit Deus. Deinde ἀκατάληπτος, id est incomprehensus Deus est; quomodò eum comprehendemus? Comprehendere enim, est totum, & simul complecti, continere, & capere. Porrò, ut in illis, *Ratione aperta demonstratur.* quæ quantitate & mole constant, continens contento majus est: ita in No- notiones. scibilibus (ut sic τὰ νοήματα vocem) par esse debet, notum & noscens; sciens, & scitum: quia alterũ alterius imago est vera. Si itaque quantitatem spectes, major; si qualitatem, par esset homo Divinitati, si eam totam plenè comprehenderet.

Quomodò tamẽ possit comprehendi docetur. Dicendum itaque: non ita eam comprehendi, ut hac comprehensione tota exhauriatur Essentia; &, ut ista Notitia, sit idem cum ejus Substantia; taliter enim solus Deus seipsum novit; ut supra demonstratum: sed ita, prout capax reddi potest natura humana; & infra Divinitatis, (quæ in Triade tantùm est;) mensuram & modum, quem nulla Natura Creata attingere potest.

Ne-

Neque Opponas : ſimpliciſſimam Naturam non poſſe comprehendi ; niſi aut totam, aut nihil ex ea : ita ut aut plenè debeat agnoſci Deus ; aut prorſus non agnoſci. Non hoc inquam Opponas. Quia etſi indiviſibilis, & ἀμερὴς, ſeu (ut ita dicam ;) impartibilis eſt Deus ; tamen ut nos eum, quodammodò nunc partimur, & dividimus ; dum attributa ejus ſingillatim recenſemus ; ſine ulla tamen ejus noxa : ita & in vita æterna etſi agnoſcetur plenè, pro captu, & modulo cujuſque animæ ; non ideo tamen dividetur, ſecabiturque in partes ; ſed totus, & ſimplex ſufficiet omnibus, ſine ſui extenſione, & partitione. Quodſi petas : quomodò id fieri poſſit ? Hoc unum reſpondebo : id fieri ad menſuram capacitatis, quæ illum recipit. Quemadmodum autem debiliores oculi, non minuunt rem aſpectam, etſi illam minùs videant ; idem quoque & hìc cenſendum eſt.

Sine diviſione, partitione, ac extenſione.

Sine partibus.

Sufficit omnibus.

Ad menſuram cujuſq; capacitatis.

Locum hunc concludo : Neceſſarium aſſerens Divinum hìc auxilium ; &, quod vocant Scholæ, Lumen Gloriæ. Illud enim defigit Memoriã admiratione, illuſtrat Intellectum agnitione, occu-

Sed neceſſarium hic eſt lumen gloriæ.

occupat denique fruitionem voluntatis: ita ut tria hæc conjunctim, simul, & pariter, Unum, Verum, Bonum videant, noscant, ament: idque tanta claritate, certitudine, ac dulcedine; quæ Dei, se communicare volentis, vim explere dignè, & ut par est; & Naturæ Creatæ modum supereffluenter (ut ita dicam,) implere possit:

Post animi felicitatē corporis felicitas.

Felicitate animi sic recensita; Corporis glorificati dotes enarrandæ restant. Quæ amplæ profectò, & splendidæ, & authoritate Divina, ac Scripturæ Verbis, & Patrum sententia memorantur; si dicta ubertim ab aliis, repetere luberet. Quin & illa, eadem authoritate, addi solent; quæ ad ipsam Naturam, ac sensus Corporis oblectandos, (semoto eo, quod impurum, imperfectum, statumque tam altum dedecens) videntur pertinere. Ut sunt illa: cùm Deus Regnum, Mansiones, & dilecta sua tabernacula, thronum, mensam, & cibum; & quod profectò mirandum, se præcinctũ & ministrantem promittit. Cùm ibidem Cantum, & harmoniam, suffitum & odoramenta Scriptura memorat: cùm splendor Ci-

Quæ strictim describitur.

vitatis

vitatis illius Sanctæ, tot ornamentis describitur; cùm hæc omnia admiranda, supra visum, supra votum, prædicantur. Quæ cùm propriè pertineant ad Corpus; quin ejus oblectamentis præparata sint, nullo modo potest dubitari. Frustra enim illud resurgeret, si boni sui expers esset. Non quòd ista terreno prorsus, humano, ac hujus vitæ modo censenda sint: sed ratione quadam; ut nobis ignota; ita statui immortali congrua, & convenienti. Immorari his, & oratione provehi per vestigia; quæ sacri scriptores reliquere, facile esset: sed non est pro mensura Scripti, quam mihi præfixi.

Eiq; propria assignatur.

Quia necesse est, ut cælo receptum gaudeat.

Potiùs itaque subjungo necessaria; quæ hinc manant monita. Ut quemadmodum Dona Gratiæ expendimus; ita paria eis, hæc Gloriæ agnoscamus: &, ut in illis magna accepisse gaudemus; ita in his non minora accepturos speremus. Utrobique enim Divinitatis quædam possessio est, ultra quam nihil magni est: sed in hoc res differt; quòd Gratia, & potest nostra culpa non accipi, & potest amitti; Gloria cùm obvenerit, amitti non poterit: securi-

Adhortatio ad expendenda dignè dona gloriæ.

Quæ differunt à gratia, immutabilitate.

cūritas enim, comes ejus perpetua eſt. Agnoſcamus ergo, ut par eſt, felicem hunc, beatumque ſtatum. Si Poeta ſpe famæ poſthumæ dixit; Non totus moriar: Chriſtianus immortalitatis, & reſurrectionis certitudine dicat; Totus non moriar. Et anima namque vivemus, & corpore. Mors enim noſtra, verè ſomnus tantùm, & dormitio eſt; & phaſe, ſeu tranſitus ad vitam meliorem. Hoc meruit, qui mortem moriendo triūphavit: idq; victoriæ pretiū, præmiumq; & ipſe tulit; & nobis reliquit. Anhelemus eò igitur: Deum, in quo omne bonum, appetamus; in eum toto animo, & Natura feramur: & ſic trāſeamus per bona hæc tēporalia, ut illis æterna lucremur.

Per hanc toti non morimur.

Mors enī ſomnus.

Toto itaque animo æterna appetenda.

Pars Capitis Tertia.

Ut à nobis noſci voluit Deus. Ubi Religionis veræ triplex, per tria tempora ſtatus: ejuſque ultimæ, id eſt, Chriſtianæ fundamenta; ac Signa, per quæ Hæreſes ab illa facilè dignoſci, vitarique poſſunt.

Deus ſe autore cognoſcitur.

DEus non niſi ſe Autore cognoſcitur: inquit verè Hilarius. Itaque

que illi soli de se credendum est : & jis, quæ cognitioni nostræ tribuit, assentiendum. Hinc enim religio manat: id est; de rebus Divinis secura, immutabilis, & necessaria, à Deo hausta veritas. Videamus igitur; quoties, & quomodò eam generi humano aperuit; seu, ut à nobis nosci voluit Deus.

Hinc manat religio vera.

LEX NATURÆ.

VEra Dei cognitio, ac Religio, ad tria tempora reducitur. Primùm enim innotuit statim Deus homini creato. Nam recens à Dei manu, & opere, factorem suum conditoremque, quin cognoverit, dubitari non potest. Manifestavit enim se illi; allocutus eum est: & dum mentem ejus cognitione rerum creatarum illustravit: (quod nomenclatura illa animalium testatur; & addictum usui ejus universum:) dum, inquam, hæc usu ipso cognovit; necesse est, ut Authorem quoque eorum cognoverit.

Prima in lege naturæ.

Innotuit enim Adamo Deus.

Sed hæc notitia, ut sufficiens, & conveniens rectæ illi ac simplici innocentiæ erat; ita procul à curiosa nimis,

Sufficiẽti ad statũ innocẽtiæ notitia.

acri, & inquieta indagatione; in quam, esu vetiti fructus, lapsa est natura humana: & loco sapientiæ, scientiam tantùm consecuta: quæ eam anxiam magis reddidit, & turbatam. Quippe, quam non dono Dei, sed transgressione mandati, & prava concupiscentia, adepta est.

Quæ post culpã non cessavit.

Post culpam verò, & pœnam primi Parentis: nihilominùs & ipsius, & posterorum ejus eam curam habuit Deus; ut noluerit eos oblivione Divinitatis, ignoratione recti, & neglectu probitatis perire. Ipsum quinimò Cain odio fratris, ac invidia incensum, jamque cædem ejus cogitantem, blandè admonuit: Bene, aut secus facta; præmium vel pænam manere: Moderandum ratione affectum; & posse eum domari. Nonnè si bene egeris, (inquit) recipies: sin autem malè; statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Quo ipso; peccatum contra naturam esse, vitarique posse, ostendit: Conscientiæ interdum dictamen firmavit: & denique in posterum, vitæ emandatæ statuit præceptum.

Firmata, salubri redargutione, & admonitione Caĩ.

Post

Post necem Abelis natus est Adamo Seth: huic verò filius Enos: qui (ait Scriptura) cæpit invocare nomen Domini. Cultusque Dei, ac Religio vera, apud illius posteros mansit: Scissumque genus humanum in filios Dei, in Sethi posteris; & filios hominum, in generatione Cain.

Apud Sethi progeniem cultus Dei verus.

Sed cùm filii Dei accepissent sibi in uxores filias hominum; corrupissetque omnis caro viam suam: Noe tantùm, (inquit Scriptura;) Vir justus, atque perfectus fuit, in generationibus suis, & cum Deo ambulavit; ideoque solus diluvio servatus est.

Quem corrupto genere humano, solus Noe propagavit.

Ex ejus tamen posteris potissima pars, in θεοπλανήσειαν πολυείθειαν, & idololatriam lapsa. Sem tantùm generatio ad Abraham, & deinceps per Israelitas, usque ad promulgationem scriptæ legis, propagavit acceptum Deo cultum. Qui pauco tum constabat ritu; eoque usu potiùs, quàm per institutum recepto, ac introducto: Præter circumcisionem, quam Abraham expresso jussu Dei orsus; sanguine pactum, cum Deo sanxit: eoque

Cujus posteri lapsi. Multivagû in divinis errorem.

Præter Sem, & Abrahã.

Cui circumcisio imperata.

ſuam poſteritatem obſtrinxit. Huc uſque vocatur lex naturæ.

LEX SCRIPTA.

Deus tādem Religionem ſcripto præcepit.

SEd cùm nullo hactenus certo inſtituto illigaſſet Religionem Deus; tandem ejus ſtatum definivit, promulgatione legis, digito ſuo in tabulis lapideis exaratæ; & juſſæ, imperatæque per Moyſem interpretem.

Et promulgat legem propria allocutione.

Et magna majeſtate.

Promulgationis iſtius ingens prorſus authoritas: quippe factæ, authore ipſomet Deo. Quod ipſe, utpote magnum, ſignanter expreſſit; dum Moyſi loquēs: veniam (ait) ad te in caligine nubis; ut audiat me populus loquentem. Et cùm hoc magna præſtitiſſet majeſtate: vidiſtis, (inquit,) quòd de cœlo locutus ſum vobis. Nempe; poſtquam toties privatim affatus Patriarchas eſſet; tandem etiam totum, ex eorum progenie populum, triduo ante præmonitum, conſtitutoque die. Hanc allocutionem Moyſes ingeminans: Acceſſiſtis (ait) ad radicem montis, qui ardebat uſque ad cælum: locutus eſt Dominus ad vos, de medio ignis: vocem verborum ejus audivi-

Quòd meritò exaggerat Moyſes.

divistis. Et passim hæc meritò in sacris repetuntur: eximia enim, & prorsus summa fuere, ad conciliandam legi authoritatem; & quæ assensum ei, obsequiumque exigerent necessariò. Non enim populus Israel, (inquit Augustinus;) authori legis Deo, & ejus interpreti Moysi, sic credidit; quemadmodũ suo Lycurgo Lacedæmonii: quòd ab Jove, sive Apolline, leges quas condidit, se dixit accepisse. Cùm lex dabatur populo, qua unus coli jubebatur Deus; mirabilibus signis, prodigiis, & motibus apparebat, creaturam servire debere Creatori: & timor incussus est Dei; terribilis super omnes Deos: & frænum exinde peccati. Hanc enim causam, sic promulgatæ legis, adfert Moyses; ut terror illius esset, (inquit) in vobis, & non peccaretis.

Magnum quippe, & ad authoritatem.

Et ad incutiendũ terrorem.

Lex ista & Religionem continet, & Politiam. De hac non est hìc sermo. Religio verò, de qua nunc res est, habet præcepta; partim ad vitam, & mores: partim ad ritus, ceremonias, cultumque Dei. Prima pars, Moralis dicitur; quæ aut vetat peccare, dum, non occides, inquit; non furtum facies;

Lex hæc partim Moralis.

Quæ vetat peccare.

cies; aliaque: ſed inter illa altum profectò, perfectumque illud: non concupiſces; quo omne peccatum penitus arcetur, excluditurque. Aut jubet bene agere, imperatque virtutes; quarum officia ad duo capita redigit: nempe ad Dei, & proximi dilectionem. In his enim duobus univerſa lex, & Prophetæ. Hoc mandatum magnũ in lege. Hoc compendium pietatis, charitatiſque; in quo tota ſanctitas, & juſtitia.

Et jubet bene agere.

Partim Ceremonialis, in ritibus.

Pars altera ejuſce Religionis, Ceremonialis erat. Ubi accuratè cultus ſacrorum deſcriptus: ut ritus phaſe; eſus agni, & azimorum, requies Sabbathi, neomeniæ, altare, victimæ, holocauſta, expiationes, thymiamata, aliaque complura, quæ ſigillatim, minutatimque recenſentur.

Sancta equidẽ, ſed ad ingenium Populi facta.

Lex itaque Domini Sancta, ſed tamen pro ingenio populi conſtituta. Hinc enim eſt, quòd præmia illi fuere vitæ præſentis, & bonorum temporalium; quorum promiſſio, & largitione, ad obſervantiam invitatus: non aliter, quàm pueris olim dant cruſtula blandi Doctores, elementa velint ut diſcere prima. Deinde, cùm idem populus

Præmia hujus vitæ aſſignans.

pulus duræ admodum esset cervicis; pænis repentinis, & suppliciorum servili terrore, sæpiùs compescendus fuit. Uti enim, olim futura præmia, illos non illexissent; ita nec pænę deterruissent posthumæ. Omnino itaque ingenio tantùm populi illius, accommodata lex fuit. *Pænis puniens repentinis.*

Atque vel hinc patet cessaturam illam fuisse, & locum daturam perfectiori; quæ omnes gentes concerneret, converteret, & comprehenderet. Prout id Jacob Patriarcha, David sæpiùs, tum Isaias, Jeremias, Daniel, Malachias, aliique locis notis prædixere; impletumque videmus. *Unde patet cessaturã fuisse.* *Prout prædictũ, impletũque.*

Nec sine causa est, quod decem tantum præcepta αὐτογράφειν voluerit Deus. Nempe ut majorem authoritatem adderet illis, quæ totum genus humanum in perpetuum obligant; ideoque immutabilia sunt. *Ipsemet scribere.*

LEX GRATIÆ.

Post legem itaque naturæ, quæ ad Moysem; post legem scriptam, quæ ad Christum; tandem ab illo, incipit consummatæ Religionis tempus *Tertium Religionis veræ tẽpus à Christo.*

tertium, ultimumque; quod est Lex nova; Lex Gratiæ.

Qui auxit moralia præcepta, ac perfecit.

Quæ licet figuram (inquit Leo;) in veritatem; prophetiam, in manifestationem; legem denique in Evangelium vertit: tamen non modò nihil de Moralibus, ac Decalogi præceptis dempsit; sed potiùs longè illa auxit, perfecitque: ut vel ipso hoc Scripto, quo præcipua Christianæ sanctitatis explicantur; patet evidenter. Ceremonialia verò, quæ in figura olim erant, re ipsa complevit; ita ut pro carnibus animalium, & sanguine hircorum, jam (ex prædictione Malachiæ) in gentibus, & in omni loco sacrificetur, & offeratur nomini ejus: Nempe, oblatio munda; novum, & incruentum Sacrificium: de quo infra dicendi erit locus.

Ceremonialium verò figuram implevit.

Præmia æterna cōstituit.

Præmium verò legis istius, æternum constitutum; & non in carne, sed spiritu beatitas: cùm Christus suis meritis, dedit nobis potestatem filios Dei fieri; his, qui non ex carne nati, credunt in nomine ejus; & exinde hæreditatem capiunt æternæ felicitatis: in qua summum, & naturam etiam supergressum hominis, bonum.

Quod attinet novæ hujus legis promulgationem; hæc non eo, quo vetus, modo facta. Non enim illo apparatu, Majestate, & pompa: quia hic modus ad ingenium humanum, sese quodammodo attemperantis Dei, ultra non placuit. Non etiam cum terrore, & minis: quia videretur non posse serviri Deo, nisi ex metu, & coactè. Alia itaque placuit ratio: ut patet ex his, quæ de Incarnatione dicta sunt. Nempe; per mansuetam charitatem, & per infirma ac contemptibilia, victor, ac triumphator animorum, multo mirabilior esse voluit Deus: majoremque hinc vim, & efficaciam suam ostendere.

Promulgatio hujus legis dispar à veteri.

Quia sine pompa, sine terrore.

Per infirma victor animorũ Deus.

Unde est, quòd doctrina ejus humilis visa, prima fronte, & abjecta. Et prædicatio Evangelii, (inquit Hieronymus, ad parabolam grani sinapis;) minima omnibus disciplinis videtur: hominem Deum, Christum mortuum, & scandalum Crucis prædicans. Confer, (inquit) ejusmodi doctrinam dogmatibus Philosophorum, splendori eloquentiæ, compositioni sermonum: certè prima specie minor videbitur

Prædicatio Evãgelii prima frõte humilis.

cæte-

Attamen vicit superbam Philosophiam. cæteris seminibus, sementis Evangelii. Attamen hæc talis; non in sublimitate sermonum, nec in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis; per homines sine litteris, (ut vocantur in Actibus Apostolorum) per viles, & imperitos idiotas, κυρίας illas δόξας evertit: vanas esse, ac inanes ostendit: natas de ingenio, & sapientia sæculi; quam Dominus, stultitiam vocans, stulta mundi in confusionem superbæ Philosophiæ elegit. Ita ut & illa, & literæ; & scientia quæ inflat; omnisque mentium fastus; tandem colla ei doctrinæ submiserit, quæ irrisa, ac illusa olim, nunc sola regnat, & animis imperitat nostris. Nempe; vicit, suis viribus nixa veritas: & stupendo prorsus modo peregit tranquilla potestas; quod violenta, vetus illa, non fecit.

Dominātia dogmata.

Et nunc sola regnat.

Non scripto tradita. Altera promulgationis legis novæ diversitas: quod non scripto, nec per literam facta sit. Nihil enim scripsit, nihil dictavit Christus. Nec doctrinæ suæ, quam mundo intulit, formulam autographam reliquit. Ita; ut Evangelium, seu bonum nuntium; non sit propriè narratio illa dictorum, gestorum.

ſtorumque Chriſti, quam quatuor, ab Eccleſia approbati, Hiſtoriæ iſtius Sancti Scriptores, edidere: ſed potiùs hoc nomine vocari debet κηρυγμα ipſum; id eſt, legitima prædicatio, facta per Apoſtolos, id eſt Miſſos. Ideo prudenter certè, ut omnia, adnotavit Maldonatus: non vocari in Scripturis Evangeliſtas, qui Evangelicam ſcripſere Hiſtoriam; ſed potiùs qui prædicarunt Evangelium. Quod teſtatur locus ille notus ſatis Iſajæ, cùm inquit: Quàm pulchri ſunt ſuper montes, pedes Evangelizantis; & prædicantis pacem; annuntiantis bonum; prædicantis Salutem: dicentis; Sion: regnabit Deus tuus. Quæ non de ſcriptoribus, ſed prædicatoribus Evangelii, & Apoſtolis dici; & verba clara teſtantur, & vel ipſo Paulo interprete, manifeſtè conſtat.

Sed prædicatione.

Evangeliſtæ propriè prædicatores.

Ex loco Iſajæ.

Et interpretatione Pauli.

Qui ipſi Apoſtoli, non ex ſcripto prælegendam, ſed ex auditu prædicandam fidei formulam accepere. Oſtenduntque id ſolemnia illa oretenus data, legationis velut inſtrumenta, quæ ab Evangeliſtis referuntur. Ut à Matthæo: qui poſt recenſita Apoſtolorum

Apoſtoli oretenus miſſi, non ſcripto inſtructi.

Teſtimonio Matthæi.

lorum nomina, datamque illis tam amplam potestatem; Hos, (inquit) duodecim misit JESUS, præcepitque eis, dicens: Euntes prædicate, dicentes. &c. Et apud eundem; post Resurrectionem suam repetiit Dominus: Euntes ergo, (inquit) docete omnes gentes. Marcus quoque: vocavit (inquit,) duodecim; & cæpit eos mittere binos: & exeuntes prædicabant. Lucas; convocatis (ait) duodecim, dedit eis virtutem: & misit illos prædicare. Apud Joannem; Illud: sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Et paulò pòst; ad declarandam potestatem: quorum remiseritis peccata, remittentur. &c. Paulus quoque: Legatione (inquit) fungimur pro Christo, tanquam Deo per nos exhortante. Qui nos (ait alio loco) fecit ministros novi testamenti, non litera, sed spiritu. Sed omnium optimè Marcus: claudens Christi Historiam, describit sic modum prædicationis. Et Dominus (inquit) quidem JESUS, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum: & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem

Marci. *Lucæ.* *Joannis.* *Pauli.* *Modus prædicationis.*

con-

confirmante, ſequentibus ſignis. Nullibi itaque, ut vides, mentio, ſcripto exaratæ legis: ſed cum promiſſo aſſiſtentiæ, datæ poteſtatis, & virtutis; miſſionis, & prædicationis; juriſque ligandi, & ſolvendi.

Nuſquã ſcripto legẽ exaratam promulgans.

Cur autem Chriſtus non tradidit ſcripto doctrinam ſuam? Primùm, ea cauſa adferri poteſt: quòd ſemper elegerit mundo, & expectationi humanæ contraria. Itaque illiteratus potiùs haberi, quàm literis uti voluit. In parabolis tantùm aperuit os ſuum: & quia cum ſimplicibus ſermocinatio ejus; ideo, ſcriptis operoſis non eſt uſus.

Noluit nempe Chriſtianos literis uti.

Deinde cùm profeſſus eſſet, ſe non veniſſe legem ſcriptam ſolvere; ut id re ipſa oſtenderet, nullum ei ſcriptum oppoſuit.

Nec ſcriptum legi ſcriptæ opponere.

Sed præcipua, & vera cauſa, ea omnino eſt: quòd voluerit Eccleſiam ſuam, ſupra fundamentum Apoſtolorum ſtabilire; id eſt, tantùm ſupra poteſtatem à ſe datam: quam nunquam ceſſaturam, neque erraturam, & magna aſſeveratione promiſit; atque re ipſa adimplevit.

Sed Eccleſiam ſupra fũdamentũ Apoſtolorum ſtruxit.

Et in poteſtate Eccleſiaſtica, ſua aſſiſtẽtia continuata.

Lex ergo nova nihil aliud eſt; niſi doctrinæ fidei, à Chriſto oretenus datæ,

tæ, & scriptæ (ut Paulus ait) non atramento, sed Spiritu Dei vivi; non in tabulis Lapideis, sed in tabulis cordis: talis inquam doctrinæ; ejus ope, auxilio, assistentia, per legitimam Ecclesiasticam potestatem, continuatio, & successio. Quæ definitio constituit unam, Sanctam, Catholicam Ecclesiam Christi.

Scripturę novi Testamenti ad consolationem jam credentium.

Sed inquies; quorsum ergo Scripturæ novi testamenti? Respondeo: ad consolationem fidelium, & jam credentium. Habet nempe Ecclesia depositum hoc ingens, quod custodit: quo gaudet, quo utitur, non ut hinc, de sancita credendi regula, dubitet; disceptet; aliamvè (ut hæretici solent) inquirat: (Etenim eam; conformem Scripturis, decisam à Conciliis, defensam Patrum sententia; &, quod summum: acceptam à Christo, per Apostolos traditam, per eorum successores continuatam habuit, habet, habebitque semper.) Sed, ut fidam narrationem præcipuorum, quæ Christus fecit, aut dixit, habens; refricet magna consolatione memoriam primæ prædicationis, & doctrinæ semel constitutæ.

Non ut inquirant novam fidem.

Sed ut memoriã prædicationis refricent.

Hinc

Hinc verò manifeſtum eſt: aut fallere, aut certè falli eos, qui ſcripta hæc ſacra ita jactitant, & præſeferunt; ut regulam unicam fidei conſtituant, non tam illa; quam potiùs ſenſum ex illis, ſua interpretatione depromptum. Atqui, nec Evangelica narratio, nec Apoſtolorum geſta, aut Epiſtolæ, omnia habent, quæ per continuatam doctrinam tradita accepimus: nec modo, ac fine legis, ſunt exarata; ut dogmata nempe omnia fidei, præceptaque rituum, ſigillatim dictent, recenſeant, ſanciantque, prout lex vetus, & ſcripta fecit. Et ſatis conſtat prædicationem, & Eccleſiam, plures per annos, ſine ullo ſcripto extitiſſe; nullamque ejus in Actibus Apoſtolorum mentionem eſſe: cùm tamen eſſent omnes perſeverantes in eorum doctrina.

Ex earū privata interpretatione non eſt fidei Regula.

Non omnia continent.

Non modo, ac fine legis ſcriptæ.

Caruit illis aliquandiu Eccleſia.

Quod verò Evangeliſtæ Hiſtoriam Chriſti ſcripſerunt; gravibus equidem cauſis; nempe inſtinctu Spiritus Sancti, & magno Eccleſiæ, ac poſteritatis commodo, adducti ſunt: ſed non certè, ut conderent Scriptam legem, formulamque fidei, & canonem conſtituerent credendi. Quod alia forma, mo-

Inſtinctu Spiritus Sancti exaratæ.

Poſteritatis cōmodo.

doque

Sed non forma canonis. doque fieri oportuisset: & quod reservatum videtur, donec dubitationibus, & quæstionibus variis, (ut est ingenium humanum;) & post, hæresibus (quas futuras prædixit Dominus) ortis; necesse foret dogmata verbis certis ponere, canonem ferre, & scripto sancire: Prout factum ab Apostolis in quæstione illa prima, de circumcisione gentium.

Qui ortis quæstionibus, & hæresibus demum constitutus.

Conclusio hujus loci. Scripturæ itaque Novi testamenti, non sunt propriè lex; data, sancitaque cuncta, complectentes. Nec, prout dixi; fine, modo, ac forma præcepti sunt exaratæ. Nec licet illis, nisi sensu Ecclesiæ, cujus depositum sunt, uti: Nec fas interpretari aliter, quàm constituta semel fidei doctrina permittit. Ita, ut qui illas solas, pro unica fidei regula jactant; profectò earum specioso obtentu, licentiam disceptandi quærant; potestatem verò, & obsequium tollant.

Non licere uti scripturis, nisi Ecclesiæ sensu.

Contra heterodoxos præscriptiones. Hisce verò ita deductis; etsi non fuit mihi animus hoc Scripto contra heterodoxos dicere; nec argùmentum, quod mihi proposui, id requirat: (nam πρὸς τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως scribo.) Attamen

Ad domesticos fidei.

men, quoniam ordine deveni ad hunc locum; ὡς, ἐν παρέργῳ, non diſputabo, ſed præſcribam pauca; quæ tamen probè penſitata, & ad opinionem tollendam, & ad agnitionem veri, ſufficere poſſunt. *Velut præter opus.*

Prima itaque præſcriptio ſit: eſſe inter Chriſtianos Religionem veram. Hoc nemo diffitebitur, niſi qui aut ejus, quam præſefert incertus; aut novæ alicujus author; aut cujuſcunque contemptor eſt. *1. Eſſe veram Religionem.*

Altera præſcriptio: Religionem veram unam tantùm eſſe. Nam verum; unum. Diſſenſus ex uno, plura facit; & contradictoria: quæ in re una, vera eſſe nequeunt. *2. Unam tantùm eſſe.*

Tertia: Religionem veram, & unam; neceſſariam eſſe. Niſi enim neceſſaria eſſet, quorſum vera? quorſum una? quorſum ulla? *3. Neceſſariam eſſe.*

Quarta: Religionem veram, unam, neceſſariam, à cætu legitimo retineri: ſeu, non unius, alteriuſque privata, & ſingulari opinione conſiſtere; ſed multorum conſenſu, & velut conſociatione. Alioqui ſingularis, & cujuſque privata Religio, multiplex eſſet; ideoque ne- *4. A cætu legitimo retineri.*

que vera, neque una, imo nulla esset: quia cultus, ritusque debitus exerceri, nisi in cætu non potest; sine ritu autem, nulla Religio est.

5. Eum potestate, & lege constare. Quinta: Cætum hunc potestate, & lege contineri. Hoc enim tantùm vinculo coalescit omnis multitudo: Alioqui non esset legitimus Cætus; sed turba, non consentiens in potestatis, & legis obsequium.

6. Potestatem à missione esse. Sexta: Potestatem manasse à missione. Hanc à Christo Apostoli, ab illis Ecclesia accepit. Hæc est (ut evidenter ostendi, ac demonstravi) primarium fidei, & doctrinæ Christianæ fundamentum; cui superædificata Ecclesia.

7. Missionis notã, successionem. Septima: Missionis veræ, ac legitimæ notam esse, Successionem. Hæc aut nulla est, aut una est. Nulla esse non potest; quia non interituram promisit Christus. Una igitur tantùm est. Eam autem alia Ecclesia, præter Catholicam, non modò docere non potest, sed ne profiteri quidem audet.

8. Hinc regula fidei. Octava: Per hanc unam, missione continuatam potestatem, lex declarata est, Regula, inquam, & formula fidei.

dei. Quæ constituta, non mutatur. Semel enim Ecclesia jubet; semper paret.

Nona: Uti potestatem, quæ legem declaravit; ita & legem infallibilem esse. In utroque enim est Divinum αὐτὸς ἔφα; quod non fallit. Et tollitur omnis religio, si aliqua indubitata non statuitur.

9. Quæ, toti & potestas, infallibilis. Ipse dixit

Decima: Potestas hæc, est Hierarchica; gradus habens, & ordinem. Ubi autem gradus, devenitur ad summum; ubi ordo, ad unum. Et nimis liquidò constat, non popularem regendæ Ecclesiæ suæ formam elegisse Christum; sed Principatum.

10. Potestas est Hierarchica, gradus, & ordinem, habens.

Undecima: Ex prædictis, sic describitur Ecclesia: ut sit; in vera, una, necessaria Religione, Congregatio fidelium, sub potestate, ac lege constituta; Missionem, ac Successionem habens; certam fidei Regulam retinens; Infallibilis; & sub uno, summoque Capite.

11. Ex his notis definitio vera Ecclesiæ.

Positis autem his, quæ sese ratione consequuntur: Convenio Ecclesias (omnes equidem, præter unam, falsas) & exquiro: num acceptent præscriptiones hasce, admittantque? Quæ non; sua confessione arguentur, non

Hanc qui non acceptant, manifestis se induunt ultro erroribus.

habere religionem veram, unam, necessariam, potestate & lege devinctam. Non item potestatem à Missione; nec missionis successionem: Nec ab illa, formulam fidei unam infallibilem: nec in optima regiminis forma, quæ est Principatus: Sed potiùs ἀκέφαλην ἀναρχίαν; & nullam denique Ecclesiam.

Sine capite licentiam.

Istis, inquam, Erroribus, & absurdis, se ultrò induerent, non admittendo hæc, quæ præscripsi. Admittent igitur potiùs cuncta; & dicent, eorum professioni quadrare, ac omnino convenire. Itaque fidenter præscribam cætera, & persequar.

Acceptabunt igitur potiùs.

12. A tali Ecclesia desciscere, Hæreticum.

Duodecima ergo sit præscriptio: A tali, quam definivi, Ecclesia desciscere; eam erroris arguere; condemnare; Hæreticum prorsus esse. Causa præscriptionis in aperto. Divinam enim authoritatem, qualem hic ponimus, quis licitè deserat, arguatve erroris? Deinde; cùm ex antedictis pateat, Ecclesiam habere jus Potestatis summæ; demonstratum autem, libro secundo, jus ejusmodi in eo situm, ut ei pareatur semper; & nunquàm licitè resistatur: Ideo, parendum semper erit Ec-

Quia Divina authoritas, & potestas, violatur.

clesiæ,

clesiæ; & tantò magis, quòd aliæ quidem potestates à Deo, hæc verò prorsus ipsiusmet Dei; quam θεοκρατίαν rectè vocaveris.

13. Descifcunt, qui eam corrigere præsumunt.

Decima tertia: Descifcunt ab hac potestate, & hæretici sunt, qui Ecclesiæ sancita, & dogmata corrigunt; vel interpretatione Scripturarum, vel ratiocinatione humana, vel pravo studio curiosæ indagationis. Hoc enim non permittit constituta semel fidei Regula; quæ jubet credere, non quærere.

14. Multò magis, qui novū cætum faciunt.

Nā schisma hæresis character.

Decima quarta: Multò magis Hæretici sunt; qui novum cætum, separatamque faciunt Ecclesiam. Nam, si fuit semper, ut ostensum est, aliqua, & una; dum inducitur altera, falsa sit oportet. Est verò hæc nota vera, & proprius character Hæreseos: facere Schisma, & secessionem. Non tam enim erronea opinio hæresim efficit; (nam hæc ab innocenti ignorantia oriri potest) quàm pertinacia, authoritati resistens.

15. Prima fides retinenda.

Decima quinta: Prima fides retinenda: quæ verò, prætextu correctionis posterior inducitur; vitanda semper, ac fugienda. Nam id Dominicum, (inquit Tertullianus) & verum; quod

Nam posterior zizania. primò traditum: posterius falsum. Quod vel illa parabola docet, quæ triticum seminatum, ait, à Patrefamilias; post verò ab inimico, Zizaniam. Additque Tertullianus; memoranda professò, notandaque verba: Ea sententia, (inquit) manebit adversùs posteriores quasque hæreses. Ubi non præscriptio tantùm ejus; sed prudens sanè prædictio, & præmonitio est.

16. Quæ doctrina citò placet suspecta. Quia multa indulget. Decima sexta: Suspecta doctrina esse debet, quæ citò placet; & arridet mentibus humanis. Talis, non jubet credere, quod non capias; quæ supra, aut præter captum sunt, reiicit: Inquirere in regulam permittit, licentiam fovet, obsequium tollit, multa superflua esse, & non necessaria, asserit, & denique laxat disciplinam, patentemque nimis viam aperit: cùm angusta sit, quæ ducit ad cœlum. *Quæ mẽs humana arripit.* Assentitur verò his facilè animus: quippe sui juris amans, adstringi præceptis nolens; & ut plurimum prava arripiens sponte, recta sequens invitus. Quia illa, fronte blandiuntur, & statim alliciunt; hæc aspectu aspera, ideoque absterrent: sed tractu, ac mora; illa exitu tandem misera, hæc fine beata.

De-

Decima ſeptima: Hac ratione, ſed obtentu recti, hæreſis ſeſe inſinuare ſolet. Fruſtra tamen. Nam eventu tot ſæculorum compertum habemus; omnes iſtos correctores, re ipſa ſemper fuiſſe seductores. Id oſtendunt tot, quæ recenſentur nomina ſectarum; quæ ideo non ex Deo erant, quia periere. *17. Experimento docemur Novatores ſemper fuiſſe impoſtores.*

Decima octava: Quæcunque doctrina præfert authoris nomen, oſtendit hoc ipſo ſeceſſionem, & Schiſma. Vetat Apoſtolus dicere: ego Pauli, ego Apollo, ego Cephæ; idque ideo, ut non ſint, inquit, Schiſmata; ſed ſint omnes in eodem ſenſu, & in eadem Sententia. Argumentum enim eſt diſſenſus, & innovatæ doctrinæ, hæc ab authore denominatio; quam ſemper ſectæ habuere, nunquam Eccleſia Vera. *18. Hæreſes novo nomine ſemper inſignitæ.*

Decima nona præſcriptio, manat ab eo, quod opponi ſolet. Nempe: ſi manifeſtus Eccleſiæ error ſit, (inquiunt) quomodo aſſenſum merebitur, & exiget? Ad hoc, ut reſpondeam, præſcribo: Hypotheſim falſam eſſe. Nunquam enim regula fidei, quam ſanxit legitima veræ Eccleſiæ poteſtas; nunquam dico, *19. Falsò errores Eccleſiæ veræ adſcribi.*

erravit: nec errare, ex promiſſione Chriſti, poteſt.

Perperam privato judicio corrigi. Sed fac erraſſe. Tu ne es, qui corrigas? quo jure? qua poteſtate? quo argumento? ſcilicet te expectabat veritas liberanda. Interim perperam prædicabatur, perperam credebatur; tot millia millium perperam operata, tot officia perperam functa; ut hunc locum, more ſuo, fortiter premit Tertullianus.

Quod nova miſſione Divina fieri oporteret. Certè ſi errare poſſet Eccleſia; oporteret Deum primam miſſionem, nova evertere; eamque ſignis, prout primam firmare: tum demum, forſan, fas eſſet deſciſcere. Sed fortaſſe ne tum quidem: quando nec Angelo aliud annuncianti, credere jubemur. Hæc ſunt, quæ meritò præſcripſi; vera nempè Religionis Chriſtianæ fundamenta, & ſigna.

Hæreticis hæc fundamenta Religionis non quadrant Excutiant ſe verò heterodoxi, & attentè expendant, qua ratione hæreſis nomen effugere queant: ſeu hæc, tam ipſis non convenientia, ſimulatè admittant, nec ad Eccleſiam redeant; ſeu impudenter reiiciant. Reiiciant autem neceſſe eſt; quia tueri nequeunt: &, ut

jactent;

jactent ; tamen verba rebus contraria sunt, & quod dicunt, factis negant.

Quod ut breviter demonstrem; operæ pretium est, ponere inprimis Regulam credendi, quam illi præseferunt. Ea autem est: Solum, & purum (inquiunt) verbum Dei; seu Authoritas Sacræ Scripturæ, sanè intellectæ. Hoc est, quod passim jactant, quod speciosè ostentant. Et verum quidem est, veram regulam fidei necessariò Sacræ Scripturæ convenire; nec posse ab ea diversam esse: attamen, si bene inspicis, agnosces profectò Scripturam hìc obtentui esse; revera autem pro regula haberi cujusque interpretationem. Quam variam esse posse, dissidium sectarum ostendit, nunquam sine authoritate sopiendum.

Quod ex regula fidei, quã præseferũt demonstratur.

Ea enim est privata scripturæ interpretatio.

Hac tali regula fidei constitùta, manifestum est, & ruere omnia fundamẽta religionis, quæ recensitis præscriptionibus stabilivi; & sectis minimè congruere. Primùm enim; veram apud se nec possunt, nec audent religionem profiteri. Non possunt; quia inquirendam in Scripturis, & scrutandam docent; qui autem quærit, non tenet.

Per quã ruũt Religionis fundamenta.

Non

Nec veritas ejus certò constare potest. Non audent; quia dum ſcire volunt, non credere; infallibilis certitudinis hoſtes ſunt: quam non ratio humana, ſed fides facit.

Nec unitas. Deinde, ſi certitudinem veritatis non profitentur; profectò nec unitatem habent: nec ſemel conſtitutam fidem; ſed opinionem, ac perſuaſionem, prout interpretati fuerint Scripturam.

Nec neceſſitas. Tertiò: neque neceſſitatem unius Religionis agnoſcent: quia ex regula credendi, quam præſeferunt, ſequitur quemque poſſe credere prout Scripturam intelligit. Unde multorum aſſertio: omnes in ſua religione poſſe ſalvari; quod neceſſitatem veræ, & unius, prorſus tollit.

Nec cœtus legitimus. Quartò: nec legitimum cætum: quia (ut mox oſtendam;) nec poteſtate, nec lege conſtitutum; id eſt, non ſocietatem cum certo ordine regendi, & parendi, ſed licentioſa conſpiratione ſeceſſionem.

Nec Poteſtas. Quod etiam Quintam, & deinceps, Nonam uſque præſcriptionem, contra illos eſſe evincit. Etenim omnes iſtæ poteſtatem omnino exigunt, & legem. Poteſtatem verò illi adeò non habent;

ut

ut Scriptura contenti, oppugnent etjam, ac defugiant. Neque sanè miror; cum hæc constet successione, quæ apud illos nulla. Dicunt etenim Ecclesiam veram, mille ampliùs annis, aut non fuisse; aut, quod idem est, occultam. Quod utrumque successionem (tanto præsertim intervallo) vel ruptam, vel ignotam, atque ideo falsam, nullamque facit.

Nec Lex. Legem verò etiam habere nequeunt. Quia etiamsi sanciant dogmata; tamen eatenus eis assentiuntur, quà agnoscunt Scripturæ congruere. Peto verò: possuntnè agnoscere contrarium? Si possunt; quorsum fidei formula? si non; quorsum inquisitio? aut itaque desinant inquirere, si asserunt se habere semel constitutam credendi rationem; aut si inquirunt, fateantur se illam non habere.

Nec Hierarchia. Decimò: Hierarchicos ordines aspernantur; & Monarchiæ professi hostes sunt.

Nec denique Ecclesia. Undecimò: Ecclesiæ definitionem quam posui, potiùs (desperatione causæ) diffitebuntur veram, quàm ut eam sibi accommodent. Idque ideo, quia nec

esse

esse quidem Ecclesiam aliquam firmiter volunt, asseruntque. Etsi enim solemnia quædam ejus retineant, ac usurpent; ut Cathechismum, instituta circa ritus, Festorum dierum indictionem, ministros certo gradu, synodos, excommunicationes, aliaque; tamen cuncta hæc, necessitate potiùs, (aliter enim Religio constare non posset) quàm approbatione. Nam ut omnia sibi libera, & integra relinquant; ne illegitimi cætus, & nullo jure congregatæ Ecclesiæ arguantur; ne illigari confessioni, dogmati adstringi, ac potestati subiici possint: nulli se ajunt credere, nisi Sacræ Scripturæ. Quo ipso, nihil Ecclesiæ debitæ authoritatis adtribuunt, sed ei proprio dominantur judicio; & tantùm vanam ejus formam, ac velut larvam habent. Hinc est, quòd passim scripta vulgant: Nullum sacrum ordinem, nulla officiis potestatisque discrimina; atque adeò nullam Ecclesiam, velut Civitatem bene ordinatam, esse.

Quā tamen retinent.

Sed magis necessitate, quàm approbatione.

Dū enim vitant obsequiū, Tollunt ejus imperium.

Ista autem, quæ undecies præscripsi, dum non conveniunt sectis; dum eis nequeunt aptari; hoc ipso facilè, & ma-

Ideo convincuntur schismatis.

manifestò eas convincent omnium eorum, quæ à duodecima præscriptione deinceps sequuntur.

Descivere enim sectæ, (ut quæ præscripsi, comprehendi faciã,) ab Ecclesia; corrigere eam voluerunt: Novum instituerunt cætum, separatamque Ecclesiam: Primam fidem, habentes exinde damnationem, reliquerunt; latam aperuere viam; Autores earum, non correctores, sed corruptores meritò jam audiunt; sectis denique nomina de suo nomine imposuerunt. Etsi enim hoc postremum negetur; & nemo se Luteranum, aut Calvinianum libenter dici velit: sed tamen profectò sunt; neque aliter dignoscuntur. Quodsi Evangelicos, seu reformatæ Religionis sese nominent; hæc ipsa nomina novitia, & veteri Ecclesiæ ignota prorsus esse, nemo nescit; quæ, præter Christianos, & Catholicos non novit.

Quod strictim ostēditur.

Secessionem vel nomine testantur.

Sed sat evagatus sum, & ultra finem forsan, modumque propositi. Itaque pauca tantùm ad Sectarios. Non puto omnes velle errare: si quos tamen ambitio, avaritia, æmulatio prava, studium præcellendi, obsequii detrectatio,

Adhortatio ad illos qui videntur velle errare.

arro-

arrogantia denique mentis, adeò transversos egit, ut illis peccare lubeat: Videant quæso; quàm periculosæ plenum opus aleæ, levi causa tractent; quanto in periculo versentur; quo damno, quo discrimine ludant. Attendant deinde ad internum testem inquietæ mentis. Nemo enim suam conscientiam decipit, qui fallit alienam. Clamat animus interior, & arguit, vel derelictæ, vel non inventæ, vel (quod pessimum) spretæ veritatis. Quisquis ergo ejusmodi es, redi tecum in gratiam. Quid prodest, te pertinaciter esse, quod esse non prodest? Num pudet à veritate vinci? Nonne si illa victrix tui; tu triumphator erroris? Cur illo suffundaris, quo gaudebis caruisse? Certè deserta opinio prava, Confessio aberrationis, malè asserti dogmatis damnatio, Transfugium denique ad bonos; solido, ac vero, immò necessario fructu pensabit abundè, inane, quod hinc oriri possit, levitatis improperium.

Videant, quanto sint in periculo.

Attendãt conscientiæ redarguenti.

Non erubescant, à veritate vinci.

Vos verò, qui ignoratione peccatis; nolite dogmatis pertinaciam, nimium studium sectæ, & denique odium adversæ partis induere. Non est enim vobis

Qui ignoratione peccant.

bis

bis Religio, etiam poſt ſancitum dogma, inquirere; & ſcrutari: permittit hoc, aut potius exigit regula fidei, quam profitemini. Quærite ergo fide bona: nihil enim abſurdum magis, quàm aut teſtari dubitationem, nec tamen inquirere; aut tueri, ac defendere, quæ dixeras quærenda. Deinde; non vos ſecta, & ſocietas opinionis retineat: abſolvit enim vos hoc vinculo, datum cuique hac in re arbitrium, nullo adſtrictum obſequio. Deinde; nolite odio abripi. Tum enim demum ſpondeo, agnoſcetis: & ignorare vos, cùm odiſtis; & iniquè odiſſe, cùm ignoratis. Nos certè non vobis iraſcimur. Pœnam errantibus aſſignamus, veri agnitionem; victoriæ nobis pretium, ſalus Veſtra. Pro hac decertamus, pro hac pugnamus: Et cum Apoſtolo, teſtis eſt nobis Deus, quomodo omnes vos cupiamus, in viſceribus Domini noſtri JESU Chriſti.

Inquirāt verum fide bona.

Non retineantur ſectæ ſtudio.

Ne oderint nos gratis.

Qui illis bene cupimus.

Denique voto locum hunc concludo; & te, Deus, invoco: ut (quod tu ſolus potes) mentes opinione corruptas, veritati reſtituas; & aberrantes oves in Eccleſiæ caulam reducas: ut

Voto ad Deū Locus clauditur.

sit, prout promisisti, unum ovile, & unus Pastor.

CAPUT II.

Περί Θεοσέβειας:

SEU

De Cultu Dei.

Notitiam Dei, cultus consequitur. NOtitiam Veram, & agnitionem Divinitatis, necessariò veneratio & cultus consequitur. Quis enim, cum cognoverit summū illud bonum, intra se infinitè perfectum, beatumque, in omnia summè potens; erga nos mirè, & supra modum beneficum: quis, inquam, non colat? non adoret? Debemus id primùm, admiratione majestatis: Tenemur deinde officio gratitudinis: suademur ingenti præmio: jubemur denique gravi, & extrema pœna.

Et ab illa necessariò manat.

Implendus, prout se coli Deus præcipit. Porrò, sicut Vera notitia Dei, non est nisi à Deo; ita & acceptus ei cultus esse non potest, nisi ab ipsomet expetitus, imperatusque. Ergo, ita eum colere oportet; quemadmodum sese colendum præcepit. Quod præceptum, partim

Modumq; imperat,

partim imperat modum certum sacrorum rituum, & cæremoniarum; partim imprimit mentibus nostris religiosum quendam metum, qui nos Divinæ mancipet servituti; sed voluntariæ, & paratæ; quippe simul erga Dominum, & Patrem.

& religionem facit.

Sed ut dignè hoc impleamus officium, scire oportet; oriri cultum ab honore. Honor autem, est internum judicium debitæ existimationis, testimonio & signo externo expressum. Hinc, inquam, manat cultus; & Adoratio: Quæ, est submissio quædam animi; quippe erga excellentiorem. Unde quò major æstimatio, eò major submissio.

Oritur ab honore, qui definitur.

Uti & adoratio.

Deus verò, cùm sit infinitæ dignitatis: ideo & nunquam sibi parem honorem à creatura obtinere potest; & sibi soli eum, meritissimè vindicat. Quia solus propriam, à nullo acceptam dignitatem habet: cùm omnis alia sit ab ipso, & propter ipsum; imò ipsius omnino.

Utrumq; soli Deo propriè debetur.

Patet verò etiam, quòd Adoratio Dei, animo potissimùm fiat: Dum ille se humiliat, & abijcit coram Deo: &

Animo fit potissimū.

summa, qua potest æstimatione, adorat eum in Spiritu, & Veritate. In hac, inquam, actione mentis, præcipuè sita Veneratio; sed tamen ad consortium hujus officii, corpus etiam accersitur: cujus conformatio, ac compositio, externo signo, & gestu exprimit internnm mentis sensum: ut mox explicabo. Utroque verò, id est, animo & corpore, testamur soli Deo debitum illum cultum, quem τῆς λατρέιας nominare solemus.

Tamē & corporis ministerio.

Hinc latria procedit.

Adorandus ergo, & venerandus solus Deus. Idque triplici cultu. Primus, est proprius cuique, ac privatus; qui vulgò Devotio dicitur. Alter, religiosus seu Mysticus; qui est in observatione instituti, & rituum sacrorum. Tertius, relativus; qui per honorem alterius, ad Deum transit; eique propriè defertur. Itaque hinc manabunt tres hujusce capitis partes, singillatim explicandæ.

Cultus partim privatus.

Partim Mysticus.

Partim relativus.

Pars Capitis Prima.

De Cultu Dei privato, seu Devotione.

PRivatum Dei cultum, devotionem voco; non latino, sed Ecclesiæ sensu. Est enim, quam hic intelligo, Devotio: puri, & innocentis animi in Deum ascensus; & elevatio, actione certa, allocutione, & cogitatione. *Definitur devotio privata.*

Actionem primùm pono; id est, ut dixi; certam corporis compositionem, qua submissam venerationem testamur. Ea, partim est usu recepta, & introducta; partim imperata à potestate Ecclesiæ. Prima, fit inclinatione cervicis capitisque, adgeniculatione, cernua corporis demissione, procidentia, manuum elevatione, percussione pectoris, alijsque modis, quos consuetudo piorum, & usus, potissimùm ab exemplo Christi acceptos retinet exercetque. Hæc talia, etsi mente animantur, & ab illa vim accipiunt; tamen & ipsa valent; faciuntque ad animi motum. Et constanter, ac fixè exer- *Actio ejus fit gestu certo corporis.* *Consuetudine piorum introducta.* *Movet animum.*

cita, & excitant eum ſæpe; & ne evagetur, quodammodo firmant.

Sed fiat oſtentatione procul. Sed bina hìc cautio. Primùm: ut fiant, oſtentatione omni procul. Ideoque vix in publico, & ſpectantibus coram; aut certè parcè. Deinde, ut non anxia & ſollicita cura; & tanquam ſine illis eſſe non poſſet Oratio. Sunt enim adjumenta potiùs ad cultum, quàm ipſa ejus opera. Cùm, ut notum eſt vetus illud: Bonus animus; præcipuus, pulcherrimuſque Dei cultus ſit.

Et ſine anxia nimis cura.

Eadem actio ex præcepto Eccleſiæ. Illa verò, quæ ſanxit Eccleſiæ regula; ut actione certa, ſeu miniſterio corporis, circa inſtitutos ritus impleantur; ad myſticum cultum pertinent: de quo infra.

Altera pars Devotionis, Oratio. Allocutio Dei, ſeu Oratio ſequitur: privati cultus; ſeu verbis, ſeu cogitatione fiat; pars (ut ex officiis ejus, quæ mox recenſebo, patebit;) longè præſtantiſſima: Præſertim, ſi debita cura, & attentione peragitur. Quod ut fiat; præmitti debet Præparatio. Hæc verò relinquere jubet, & velut ſeponere ad tempus curas omnes, ſollicitudines, negotia; & dicere illis: manete hìc, donec vadam illuc, & orem. Hæc, inquam,

Cui præmittitur Præparatio.

quam, jubet: Unum porrò necessarium, accurata attentione, ac diligentia agere: Memoriam defigere: & phantasmatum copiam submovere. Deinde, magnitudinem majestatis, quam alloqueris, ut par est, expendere, præsentemque intueri: vilitatem tuam agnoscere; & humiliari quantùm potes, in conspectu Dei. Tertiò, petere auxilium, & bene orandi modum; ut dirigatur, & assurgat oratio tua, velut incensum in odorem suavitatis; & ad gloriam ejus.

Quæ hoc unum agere.

DEUM profundè venerari.

Et auxiliũ petere jubet.

Officia, quibus oratio fungitur; plura sunt, & varia. Primum est laudis: ut nempe benedicat, & magnificet anima tua Dominum: & exultet Spiritus tuus; & omnia quæ intra te sunt, in Deo salutari tuo. Hoc ei à nobis debitum: & hoc tantùm possumus deferre. Cum verò ne id quidem, ut par est; ideo, opus erit de alieno divitem, & liberalem esse. Offer ergo ei eam; qua sibi ipse sufficit, gloriam. Gratulare; gaude, & exulta: quòd Divinitas se dignam à se capiat, habeatque laudem. Offer ei deinde naturam humanam, à Chtisto in consortium divini-

Officia Orationis. Primum laudis.

Eam Divinitas ex se plenã habet.

Offerenda ab humanitate Christi.

 tatis

tatis assumptam; ineffabili modo se coram ea humiliantem; eam adorantem, & laudantem. Cui laudi, junge Canticum Sanctissimæ Virginis; quo magnificatus est Deus vehementer.

A Virgine Maria.

His, etsi nihil par addi possit; tamen tu adde millia illa millium Spirituum ei ministrantium; & turbam, quam dinumerare nemo possit, Sanctorum; procidentium coram Sedente in throno; adorantium eum, & dicentium: Salus, benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro. Adjunge deinde militantis Ecclesiæ officia; laudes, & sacrificia; & phialas illas aureas, plenas odoramentorum; quæ sunt orationes Sanctorum; Acceptos nempe suffitus Deo. Denique, exemplo Davidis, inanima quoque ad hoc officium advoca; supple elinguem eorum laudem: Et per te benedicant omnia opera Domini Dominum. Multa sunt, quæ hac de re tradita à Viris pijs habere potes, & debes petere in exemplum.

A beatis Spiritibus.

A sanctis cælitibus.

A militante Ecclesia.

A rebus creatis.

Alterum officium Oblatio sui.

Alterum Orationis officium est, vera Oblatio sui; ad agenda, & sustinenda omnia,

omnia, quæ Deus jusserit, volueritque: consecrando ei memoriam, intellectum, voluntatem; cogitationes, verba, opera; corpus, & cuncta externa; & animam denique, velut in holocaustum immolando: Nihil ex hac oblatione sibi retinendo, nullum captando commodum, præter puram gloriam, placitumque ejus. Desideria, & vota hujus officii plurima, & ardentissima esse possunt, itidem à pijs Scriptoribus, ad quos te remitto, ubertim tradita. Grata verò Deo sint, necesse est; quippe qui unicè complacet in hominibus bonæ voluntatis.

Ad agenda & sustinenda omnia.

Solo respectu Divinæ gloriæ.

Tertium Officium: Confessio vilitatis suæ, & malitiæ; non modò se in suo nihilo collocando, sed etiam confitendo malum. Delictum, inquam, tuum cognitum illi fac; & injustitiam tuam non abscondas. Confitere adversùm te Domino, & ille remittet impietatem peccati tui. Fatere, te nihil aliud esse, nisi molestam quodammodo curam Dei, & jacturam ejus gratiæ; & veniam precare.

Tertium Confessio propriæ vilitatis, Et malitiæ.

Quartum officium est: Gratiarum actio. Quæ enim, ò Deus, à te; & quan-

Quartū, Gratiarū actio.

Pro donis naturæ, gratiæ, gloriæ. ta accepimus! quæ promissa accepturos speramus! quis unquam satis dona, quæ supra recensui; naturæ, gratiæ, gloriæ, agnoscat, expendatve? Immensùm ergo tibi tenemur, nec unquam ex meritò dependendum. Sed est aliqua gratitudo, postquam omnia feceris, ingenuè imparitatem fateri.

Quintum, Petitio. *Quæ ut sit rata, & proficua.* Quintum est; Petitio: Utile, Unicum, præsens, & certum miseriæ nostræ remedium: Firmatum toties ingeminato impetrationis promisso. Petite enim, inquit; pulsate, quærite; & quidquid petieritis, fiet vobis. Securi ergo simus de eventu: certi donationis, & gratiæ; modò & bona, & benè petamus. Cùm enim sit infinitè bonus, malum dare nec vult; nec potest. Carior est illi homo, quàm ut ei malefaciat; etiamsi petenti. Sed pauci sunt, qui sciant, quid petant; & pauci dignoscere possunt vera bona, & verè mala: *Petenda voluntas Dei.* Quid enim ratione timemus, aut cupimus? Quid tam dextrè concipis, ut te conatus non pœniteat; votique peracti? Itaque optimum est, ejus expetere voluntatem; & dicere: Domine, fac mecum non secundùm mea peccata,

ta, quæ multa ſunt; non ſecundùm vota, quæ ſtulta ſunt, non ſecundùm merita, quæ nulla ſunt: Sed ſecundùm tuam miſericordiam, & meam miſeriam.

Petēdus ipſemet Deus.

Deinde, nec minus petere; nec aliud, niſi ipſum. Pudeat minuta, vilia, abjecta, à tanto Domino mendicare; cùm ille ſeipſum; id eſt omne bonum offerat ultro, & elargiri promittat. Alia potiùs, quàm ſummum hoc conſectari, non modò puſillanimitas, & ſtultitia eſt; ſed impietas, & vilipendium offerentis. Vaſtum ergo ſit, quod petamus; & dignum tanto datore: & quod non privatas tantùm neceſſitates; ſed generis humani, & præcipuè Eccleſiæ bonum, ad gloriam Dei complectatur.

Et in omnibus ejus gloria.

Titulus petendi, & fiducia: quia poteſt, vult, ſcit, ac promiſit.

Titulus petendi, & fiducia impetrandi ſumitur: quia dum omnipotens eſt, omniſcius, ſummè bonus; & quia promiſit: propter gloriam nominis ſui, non poteſt non facere. Operi manuum ſuarum dexteram porrigat, neceſſe eſt; nihil enim odit eorum, quæ fecit. Itaque fidenter titulum allegare; & di-

& dicere possum: Tuus sum ego; salvum me fac, propter nomen tuum.

Hæc officia fiunt primùm oratione vocali.

Hæc ferè sunt officia orationis; quibus partim sermone, partim cogitatione, & mente fungimur. Vocalis, ut vocatur, oratio, ab Ecclesia variè adhibetur; & descripta est, tàm publica, quàm privata. Utraque potissimùm desumpta ex his, quæ dixit, cecinitque David, egregius psaltes Israel; quo elogio eum Scriptura ornavit. Additque ibidem ipsum dicentem: Spiritus Domini locutus est per me; sermo ejus per linguam meam. Itaque meritò divinam hanc ejus psalmodiam adscivit Ecclesia; eamque quotidiè, publicè & privatim decantat, aut recitat: plenam quippè admirandi Spiritus, fervoris; & ardentis, inflammatique affectus.

Ex Davidis Psalmodia.

Ex constitutis pro tempore Ecclesiæ precibus.

Addit verò eadem & alias Orationes, statis temporibus congruas, & solemnes; prout annum partita est, & Fastos Christianos condidit: authoritate, cui parent etiam, qui ab ea secessere; & insignitos nominibus festorum, & Sanctorum dies, retinent vel inviti. Ibi verò illa loquitur in canticis, & hymnis spiritualibus; & officium (ut vocant)

con-

conſtituit, cuique tempori & feſto proprium, è Prophetarum, & Sacræ Scripturæ verbis, magna fidelium conſolatione, atque fructu. Ejuſmodi enim totius Eccleſiæ Orationes, Communio Sanctorum, & unanimis clamantium toto Orbe Vox, valde commendat; efficaceſque promittit. Si namque duorum aut trium, in nomine ſuo conſenſum, Deus ſe magni facere profeſſus eſt; quantò magis totius Eccleſiæ conſonas, conjunctaſque preces?

Per quas cõmunio Sanctorum.

Sed inter hæc omnia vocalis Orationis exempla, relucet, velut inter ignes luna minores, Oratio Dominica; idque, & propter majeſtatem Authoris; & ob miram ſuam vim, & energiam. Petentibus enim à Chriſto Diſcipulis, ut eos doceret orare; poſtquam Βαττολογήσειν, & Ethnicos imitari vetuit: Sic ergo Vos, inquit, Orabitis. Et tum Orationis formulam ſubjunxit: profectò plenam rei magnæ; & pura, candida, ſimplici enuntiatione, brevi ac miro compendio, exactè complectentem cuncta Orationis officia Quæ ſupra recenſui.

Oratio Dominica præcellit omnibus.

Multa inaniter loqui.

Operæ

De qua paraphrasticè pauca. Operæ pretium eſt, videre; quæ Viri ſancti & eruditi, in ejus ſenſa eximiè multa commentati ſunt. Nos pauca dicemus, hac, quæ ſequitur, paraphraſi.

Deus vocatur Pater ob fiduciam. Fiduciæ conciliandæ, quæ orationis baſis eſt; Deum, jubet Chriſtus, vocare Patrem; eumque communem omnium noſtrum: ut ortus, & fraternitatis admoneret. In cælis autem eum eſſe: ut nos à terrenis eò elevaret, ubi verè Pater & Patria. *Petitiones ſeptẽ.* Subjungit deinde Septem petitiones. Petendum enim totum eſt; quia noſtrum nihil eſt. Tres primæ ad Deum pertinent; & videntur in ejus commodum cedere: ſed profectò in nos recidunt. Ille enim bonorum noſtrorum non eget: Et materiam tantùm meriti, & præmii noſtri quærit; cùm ſibi deferri aliquid jubet. *Ut ſanctificetur nomen ejus.* Noſtra ergo propriè intereſt; petere primùm, ut ſanctificetur nomen ejus. Non per nos tantùm: quantulum enim hoc eſſet! ſed omni meliori, ipſi noto modo. *Ut adveniat regnũ ejus.* Deinde petimus; ut adveniat regnum ejus. Non quod illo carere, aut privari ipſe poſſit; ſed quia nos. Itaque propriè petimus, ut non habeamus Regem, niſi Deum; qui imperitet

men-

mentibus, rebusque nostris. Tertiò; ut Regni istius suprema lex sit, & fiat voluntas ejus: nempe omnis justi, æqui, boni regula; tam in cœlo, quàm in terra. Hæc ad Deum, & vitam alteram. Præsentis verò necessitates sequuntur: quas brevi voto complecti jubemur. Id est; panem nostrum tantùm petere: quotidianum, non extraordinarium; modicum, & qui hodie sufficiat; nam de crastino vetat esse sollicitos. Hoc compendio, circa externa properè, & sine magna cura functi; magis petimus, ut dimittat nobis debita nostra. Adeò enim gravia sunt, ut reddi non possint, nec exolui. Itaque, quod magnificentiam, & munificentiam ejus decet; non solutionis moram, & patientiam, sed condonationem jubet petere. O benignum creditorem! Lætemur; quamvis ære ejus oppressi debitores. Non modò usuras, sed nec sortem repetit. Pænam non urget: Rogari se tantùm; Fateri & debitum, & insufficientiam jubet; & condonat. Sed justa tamen cum cautione. Nempe si & nos dimittamus debitoribus nostris. Quid æquiùs! Abominatio, & horror est Ser-

Ut fiat volūtas ejus.

Ut largiatur panem.

Ut dimittat debita.

Sed si & nos dimiserimus.

vus

vus ille nequam; qui omnis debiti remiſſione obtenta, vix digreſſus à Domino, ſuffocabat pauca ſibi debentem conſervum. Ita ut meritò contubernales contriſtati, eum deferrent nequitiæ: ut Dominus remiſſionem revocaret. Non itaque dimittetur nobis, niſi dimittamus. Nam illicium eſt miſericordiæ Divinæ, miſericordia in proximum. Quam etſi promittere, & profiteri jubemur; tamen conſciis, proni in malum animi, petendum adhuc nobis eſt: Ne nos inducat in tentationem. Seu, ut alibi dixit; orandum, ne intremus in tentationem. Memoria enim infirmitatis noſtræ, non modò victoriæ non ſumus ſecuri; ſed certamen etiam meritò detrectamus. Sed quia tamen vita hominis tentatio eſt ſuper terram; Ideò ultimò petimus, ut nos liberet à malo; nempe dæmone: (hic enim proprius Character ejus eſt) ne nos in tentatione ſuperet; ſed potiùs faciamus ex illa proventum. Ita peccata, & præterita dimitti petimus; & futura caveri, ac averti.

Ut nos nō inducat in tentationem.

Ut nos liberet à malo.

Oratio hæc breviarium Evangelii.

Hæc eſt brevis paraphraſis Divinæ iſtius Orationis: quam Breviarium Evan-

Evangelii Tertullianus vocavit;& quæ, accepta ut ſit Deo, & efficax; neceſſe eſt: quia prout juſſit; & de ſuo (ut loquitur Ciprianus) rogatur. Agnoſcet facilè Pater Filii ſui verba; & quicquid petierimus in nomine ejus, inſtitutione, & ſermone ejus, dabit nobis.

Poſt Orationem Vocalem, ſequitur mentis & cogitationis; quam tertiam partem privati cultus feci. Hæc non lingua, ſed animo Deum alloquitur. Id eſt, conſiderat & ipſum, & creationis, redemptionis, ſanctificationis admiranda ejus opera; myſteriorum arcana inſpicit; agnoſcit dogmata fidei; & exinde, miro affectu, recenſita officia Orationis exercet.

Id verò fit partim Meditatione, partim Contemplatione. Meditatio eſt, ex lectione ſacra, & fidei dogmate, de Deo, & rebus Divinis, intenta conſideratio. Quæ fit, cùm in memoria formatur rei meditandæ imago; Intellectu de ea inſtituitur ratiocinatio; per voluntatem ſequitur ejus fruitio. Contemplatio verò; eſt animi præparati ante, & jam apti, motus quidam, quo in Deum, velut natura, & pondere, fertur.

Meditatio eſt cũ ratiocinatione conſideratio.

Contemplatio fit beneficio Dei illabentis.

fertur. Ibi memoria ſine phantaſmatum adminiculo illum admiratur: Intellectus ſine ratiocinatione noſcit; voluntas ſine ullo illicio proprii Commodi ita eo fruitur; ut non tam ſibi illum, quàm ſe illi largiatur, & impendat.

Illa Deū quærit, hæc habet.

Meditatio itaque fit quodammodo opera, cura, & induſtria noſtra: Contemplatio ſolo impulſu, & illapſu Dei. Illa Deum quærit, hæc habet. Illa agit, hæc patitur tantùm. Illa in actione mentis; hæc in quiete ejus, otio, ſilentio, ſolitudine, immò morte: Quia ſeipſa vacua, vacat Deo; & ab ipſo impletur. Prodeunt verò hinc in viris ſanctis ſæpe extaſes, & raptus; ſive extra corpus (ait Apoſtolus) ſeu in corpore, neſcio: ſed hæc nec ſectanda, nec appetenda; immò, quantum per nos poteſt, vitanda; alioqui periculoſa, & illuſioni opportuna.

Ex hac extaſes, ſed non appetendæ.

Præcepta utriuſque apud Scriptores ſacros

Præcepta tam meditationis, quàm contemplationis, habes apud Scriptores Aſceticos. Sed præcipuum eſt: habere animum ab omni labe purum, domitum in commotionibus, virtutum officiis exercitum. Talis facilè, & Meditationi incumbit, & Contemplationem

nem recipit: alioqui in malevolam animam non intrabit Divina hæc Sapientia.

Pars Capitis Altera.

De Cultu Mystico, quem Religio præcipit, exigitque.

CUltum explicavi privatum; qui etsi eximius, tamen à mystico longè, & præstantia, & utilitate superatur. Præstantiam sumit ab Authore Deo: à cujus voluntate est, non ab Electione nostra. Et deinde à Gratia, operi semper adhærente. Utilitatem exinde; quia tutior, & securior; ob meritum obsequii, & deceptionis effugium. Privata enim devotio, ex suavitate, dulcedine, & teneritudine quadam affectus, facilè in complacentiam, opinionem de se falsam, nimiamque sui fiduciam labitur. Facit hoc instabilitas animi humani; qui sibi relictus, vix est securus. Deinde, idem provenit ex gaudio inconsulto Spiritus, quod facilè evanescit. Tertiò, ex astutia Dæmonis, qui subdolè, rebus etiam bonis, vanam gloriam fovet.

Cultus Mysticus potior.

Quia tutus à Deo.

Et quia annexam habet gratiam.

Denique securior.

Nec illusioni patet.

Per illum animus fungitur præcepto. Ab hoc periculo abest longiùs Cultus mysticus; ubi animus illigatus præcepto, se ei subdit. Captivat assensum, etsi ratiocinationi suæ, & captui non convenientem: Hoc verò, non permittet evagari, sibi applaudere, & se frui; sed tantùm operi jubet insistere, hoc agere, & gratiam certò comitantem opperiri.

Deus eũ præscripsit, rationi humanæ contrariũ Voluit autem Deus cultum hunc collocare sæpe in rebus, & actionibus, quas mens humana nunquam existimasset fore ei gratas; & quæ non paradoxa solùm videntur, sed profectò paraloga. Quis enim (exempli causa) putasset, acceptum Deo cultum fore, ex mactatione, aut exustione animalium? Certè nulla hic apparet idonea ratio, congruentis erga Deum adorationis. *Ut apparet ex ritu veteri, & novo.* Atqui ille; hoc genus sacrificii, olim elegerat: hoc præstari sibi mandaverat, & suaviter odoratus est. Par ratio in plerisque ritibus, cæremoniis, Sacramentis tam veteris legis, quàm novæ.

Causa, quia non servit rationi nostræ, sed dominatur. Si autem fas est inquirere: cur ita Deus voluerit, feceritque? Causas puto inveniemus istas: Primùm, quia meretur assensum, & obsequium; etiam

ſine reddita mandati ſui ratione. Fidem enim à nobis exigit, non cognitionem, aut ſcientiam. Tota demonſtratio veri, eſt juſſum ejus. Sufficit ad certitudinem, authoritas dicentis. Et verbum ejus, ſumma ratio eſt. Non ergo illum decuit, ad ſenſum captumque noſtrum ſe, & omnia componere.

Altera cauſa eſt: ut curioſam, & pravam illam cupiditatem ſciendi, quæ peccato originem dedit; & qua prurit ſemper mens noſtra, ſatagit, & variè effertur: confunderet, deprimeretque. Nempe imperans, ac jubens credere, quæ ſtulta videntur; aſſenſum in illis requirens; nec noſcenda aperiens, aut ſuavitate condiens; niſi priùs credantur: & niſi credantur, pœnam aſſignans extremam. Hac inquam ratione voluit Deus frangere ſuperbiam noſtri judicii, ut poſſet flecti arrogans animus ad obſequium fidei.

Quia cupiditatẽ ſciendi, obſequio fidei ſubdit.

Tertia cauſa eſt Religio: quæ non eſt ars, aut ſcientia demonſtratione conſtans; ſed lex, & præceptum; quod jubet, non diſputat. Imperium igitur ejus in animos noſtros ut maneret integrum; exemptumque eſſet à ratio-

Quia religio non eſt ars, ſed præceptum.

tiocinationē, & disquisitione: non modò reddere rationem noluit Deus præceptorum suorum, sed etiam consultò multa, & supra, & præter captum nostrum constituit. Cùm tamen sint omnia mandata ejus veritas. Ita ut, quod profanis mentibus videtur scandalum, & stultitia; id fideles cognoscant esse Dei virtutem, & Dei Sapientiam.

Cujus mandata veritas.

Inest illis ratio, sed occulta.

Inest enim, inest profectò omnibus ratio; sed non intelligenda, nisi priùs credantur, & exerceantur. Tum demum mentibus sibi obsequentibus manifestat hæc arcana Deus: Θεοδίδακτȣς facit; τὰ τῶν Μυστήριον σεμνὰ aperit; gustum illorum largitur, & suavitate commendat. Ita, ut admiratione mens attonita, veneratione prostrata, amore accensa, agnoscat tandem: quomodò in parvis, & specie vilibus, tam mira, tam magna inclusit Deus; & qua ratione, dum bonitati suæ indulget; seque homini, quem dilexit, largitur; sub velo usitatæ rei, & specie signi obvii, velut in sanctiori quodam recessu, Majestas tanta delituit.

Docibiles Dei. Mysteriorum veneranda. *Quæ credentibus demum manifestatur.*

Cultus mysticus.

Hæc meritò præfatus; divido cultum mysticum in Cæremonias, Ritus, Sa-

Sacramenta. Cæremonias intelligo; Ordinationem certam actionis, & ministerii, in peragendis sacris. Consistit hæc; dum aut præcipitur varius gestus corporis; nempe genu flectendo, assurgendo, gradiendo, aliisque modis, quos vel mystæ, vel assistens sacris populus, exercere jubetur. Aut varia adjunguntur opera; ut lucernas, & lampades accendere; thus adolere; vasa, vestes, ornatum varium, ad comptum altaris, & mundum templi adhibere. Quæ talia, indifferentia quidem per se sunt; sed pondus capiunt ab authoritate potestatis Ecclesiasticæ; cujus præscripta, Spiritus Sancti assistentia, & dictamine animantur. Itaque decenter, graviter, & splendidè exerceri debent. Movetur enim talibus animus; ad devotionem componitur, & mitescit. Contra; contemptus istorum efferatos, superbos, & denique Dei contemptores facit. Servabit ergo accuratè hæc Christianus, ut Deo grata; quia per potestatem ab eo institutam, jussa.

primùm in cæremoniis.

Hæ consistunt in certo ministerio.

Spiritus S. dictamine animantur.

Si ritè fiāt, movent animum.

Ritus Sacri sequuntur: qui itidem ordinatione certa actionis consistunt; sed hoc à Cæremonia nuda differunt, quòd

Altera pars Cultus Mystici: Ritus.

Adjunctū habent exorcismum, & benedictionem.

Effectum habent non infallibilem.

Sed vim tamen magnam.

quòd adjunctam benedictionem habeant, atque exorcismum. Præmittitur enim certa, & constituta verborum formula; per quam, Exorcismi increpatione dæmon, & malum abigitur: & benedictione mysticum quid, & sacrum inditur. Effectus verò consequitur, non quidem infallibilis, ut in Sacramentis; sed magnam tamen vim continens, gratiæ obtinendæ. Itaque altioris ista sunt gradus, & ordinis: & cum majori religione, ac reverentia exercenda, acceptandaque. Ejusmodi est: aqua benedicta, ejusque aspersio; aliæque rebus impertitæ ex instituto benedictiones. Quas Ecclesia depromit ex ubere penu, ac infinito thesauro meritorum Christi: Et deinde, ex potestate sibi in Apostolis data, mira operandi in curatione omnium infirmitatum, & immundorum spirituum victoria, ac depressione. Itaque copiosè, per hæc talia, quod gratis accepit, gratis largitur; & concessas sibi ἐξουσίας, καὶ δυνάμεις exercet. Ad ritus itidem pertinent ea, quæ in administratione Sacramentorum ordinavit Potestas Ecclesiastica; dum in illis conficiendis, &

Petuntur ex meritis Christi.

Potestates, & virtutes.

Et data potestate.

exercendis, modum certum actionis, & ministerii, usu potiùs, quam scripto ab Apostolis traditum, præcepto definivit, ac præscripsit.

Sed vis præcipua Cultus Mystici, immò tota est in Sacramentis. Definitur verò Sacramentum; signum visibile invisibilis gratiæ; seu; Dei instituto, in materia certa, & certa verborum formula consistens gestum quoddam, seu factum; quo ritè adimpleto, homo gratiam accipit, & consecratur.

In Sacramentis præcipuus cultus mysticus

Eorum definitio.

Est, inquam, signaculum sacrati Deo hominis; mancipatio, & stigma Divinæ servitutis; tessera ejus militiæ; Signum Dei Viventis; Fœdus Pacis, & reconciliationis; Peccati ablutio, & abolitio; Armatura fidei; scutum adversùs ignita tela inimici; vestis ad Agni nuptias; Amictus, & ornamentum gratiæ; Antidotum incorruptionis; Arrhabo immortalitatis; Pignus præmii; Jus hæreditatis æternæ: Denique bonitatis Divinæ ingens flumen, & gratiarum immensum pelagus. Hæc, inquam, omnia mysticis istis actionibus insunt; & ex opere (ut loquuntur) operato proveniunt.

Et varia descriptio.

Numerus Septenarius. Septem autem ſunt Sacramenta. Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Ordo, Matrimonium, Extrema Unctio. Quæ ubertim, & fusè à multis explicata, nobis libaſſe sufficiet. Baptiſmus; eſt regeneratio Spiritualis, per quam homo mortuus peccato, vivit Deo. Impletur per aquæ puræ affuſionem largiorem, quæ eſt materia hujus Sacramenti; & per verba ſolemnia illa: Ego te Baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: quæ animo conferendi prolata, formam ei imponunt. Eſt primum medium ſalutis; & ad eam obtinendam neceſſarium prorſus: Characterem habet indelebilem; ideoque ſemel tantùm uſurpatur: fidem illo profitemur; & Satanæ renunciamus.

Baptiſmus definitur.

Confirmatio item. Confirmatio, eſt Sacramentum, quo Spiritualis gratia in Baptiſmo accepta, ſtabilitur, & augetur, per Epiſcopum; Chriſmatis unctione, & certa verborum formula. Materia ergo Sacramenti; eſt Oleum cum balſamo, ritè conſecratum. Forma in verbis, quæ hic proferri ex inſtituto ſolent. Non poteſt repeti. Non eſt neceſſitate medii

ad

ad salutem necessarium. Potestque non exerceri; modò non accedat contemptus, aut negligens incuria.

Hoc utroque Sacramento initiamur Deo. Nempe: Loti à peccato, uncti gratia; amissam in culpa originis redintegramus innocentiam. Sed non ideo tamen à lapsu securi. Itaque aliis, majoribusque firmandi præsidiis: nempe Eucharistia; ne tam facilè peccemus: Pænitentia; ut à lapsu surgamus. *Loti à peccato & uncti gratia.*

Eucharistia, est SACRAMENTUM Corporis, & Sanguinis Christi, sub speciebus Panis & Vini: cujus sumptione in anima spiritualiter nutrimur, & concorporei Christo efficimur. Unde vocatur Communio; per quam in ipso manemus, & ipse in nobis; Multi unum sumus corpus in Christo; & membra unius capitis: Firmati hac spirituali alimonia contra concupiscentiæ fomitem, & dæmonis fraudem. *Tamen egemus Eucharistia.*

Materia hujus Sacramenti, ex institutione, & usu tradito, receptoque; est Panis, isque azymus: & purum putum Vinum, cum modica aquæ admistione. Forma in verbis hisce: Hoc est Corpus meum: Hic est Calix Sanguinis, &c. Vir- *Materia ejus, Panis, & vinum.*

Forma in consecratione. tute horum verborum, à potestate ad id ordinata, fit vera & substantiva conversio Panis & Vini, in Carnem & Sanguinem Christi. Hæc mirabilia, inquam, fecit misericors, & miserator Dominus, ut daret escam timentibus se.

Frustra hic caligat mens humana. Caligat verò ad tantum miraculum mens humana; in assensu titubat, & cum Judæis quærit: quomodo hic potest nobis carnem suam dare ad manducandum? Sed profectò, fateatur necesse est: non esse impossibile apud Deum omne verbum: cùm omnipotentiæ suæ, supremum quod esse potuit, argumentum dederit; nempe nos, & omnia ex nihilo producendo. Certè enim, majus est novas condere, quàm immutare naturas. Deinde, Ambrosius ait: frustra quærendum esse ordinem naturæ in Christi Corpore; cùm eum mutarit in Nativitate. Et qui convertit, inquit, aquam in vinum; cur non Vinum in Sanguinem? Quid magni est, Deum mira facere; cùm illa genii patrent? immò cùm humana æmuletur industria? Quis enim non admiretur ex lino chartam, ex ligno vitrum?

Omnipotenti cuncta possibilia.

Etiã homines arte mira efficiunt.

trum? Si talia creaturæ, & homo artifex potest; quantum Creator posse putandus est? Credamus igitur hæc in Eucharistia; mira quamvis: quia ipse dixit, & facta sunt.

Firmati autem hac constanti fide, tantum Sacramentum veneremur cernui: & ita nos præparemus ad Sumptionem, & usum ejus; prout tanti mysterii dignitas requirit. Qui enim indignè accedit, & manducat; reus erit Corporis, & Sanguinis Domini. Et judicium, atque unà pœnam sibi manducabit, & bibet, non dijudicans verè; nec, ut oportuit, agnoscens Corpus Domini. Examinet ergo seipsum homo, & sæpiùs dijudicet: & tum, cum timore Sancto, pariterque & amore; in vera humiliatione cordis, frequenter accedat ad hoc Sacrum Convivium: in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ Gloriæ nobis pignus datur.

Debetur huic Sacramento veneratio.

Et in sũptione diligens examen.

Etenim τελεῖον, & Sanctum hoc, quædam Incarnationis continuatio, & nobiscum communicatio est. Ut enim per illam Deus uni, & individuæ humanæ naturæ,

Perfectũ. *Est hic velut repetita Incarnatio.*

naturæ, se hypostaticè univit; ita per hoc Sacramentum, assumptam humanitatem, cum annexa semper Divinitate, participat cum omnibus, ritè & dignè Corpus ejus sumentibus. Nascitur itaque, & sumptione ista formatur in nobis Christus: Non natura quidem; sed tamen substantivo habitu, & energica virtute, quæ nos in illum convertit; &, quantùm possibile est, transmutat. Unde admirandum hoc arcanum, & absconditum manna, quanta adoratione, & affectu sit prosequendum, facilis æstimatio est.

Nascitur enim in nobis Christus.

Huc pertinet Missæ Sacrificium.

Adhæret verò huic mysterio Missa; seu functio illa, quam Ecclesia peragit incruenti Sacrificii: ubi sacerdotum ministerio offertur idem Christus; qui semetipsum in Cruce obtulit Deo: hostiam Sanctam, & beneplacentem: & imperavit; ut hoc faceremus in sui commemorationem. Hujus Sacrificii, omnia veteris legis Sacrificia, fuere umbra, imago, & figura. Hoc est verè propitiatorium pro peccatis vivorum, & mortuorum. Hoc est velut pactum quoddam: ut nempe ritè peracto hoc opere, talis sequatur effectus. Id pepigit

Pro vivis, & defunctis.

git Filius cum Patre; & sanxit (in quo nos acquisivit) sanguine suo. Itaque utamur dignè tanto munere, ac dono. Offeramus, cum hac oblatione, ex merito, ac debito acceptabili, Spiritum & cor contritum: veniam peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium gloriæ petamus; securi impetrationis.

Ex debito acceptabili.

Quartum Sacramentum, vocatur Pænitentia. Quæ genericè definitur: animi motus, dolentis se quidpiam perperam commisisse, vel omisisse. Tum, inquam, sic doleo; dum me pænitet: & facto torqueor ipse meo. Sed ut Pœnitentia nomen Sacramenti obtineat, impleatque; requiritur inprimis: ut sit dolor ex abominatione, & detestatione peccati; quatenus est injuria, & offensa Dei. Talis dolor vocatur, verbo in Ecclesia recepto, Contritio; primamque Pœnitentiæ partem obtinet.

Pænitentia definitur.

Prima ejus pars Cõtritio.

Altera est Confessio; seu, sui coram delegato judice accusatio. Judex hic Sacerdos est, ob acceptam Ordinis potestatem: de qua mox dicam. Etsi enim apud Prophetam dixerat Deus; Ego

Altera, Confessio.

Ego ſum, ego ſum, qui deleo iniquitates tuas, propter me. Tamen, velut deceſſit de hoc, ſibi ſoli proprio jure; & primùm Chriſto, ut Filio hominis, dedit poteſtatem dimittendi peccata: Deinde, eandem ille in Apoſtolos, eorumque ſucceſſores tranſtulit, dum inſuflavit, & dixit: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittentur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. O Magnum verè infirmitatis noſtræ ſolatium! Cum judicem habemus ex hominibus aſſumptum; qui compati poſſit miſeriæ noſtræ, cùm & ipſe eadem circumdatus ſit: Qui jubetur condonare, non tantùm ſepties, ſed ſeptuagies ſepties; immò quoties opus fuerit, & quoties rogabitur.

In qua poteſtas peccata remittendi.

Magno noſtro ſolatio.

Sed, ut condonet; opus eſt, ut priùs cognoſcat. Id verò fieri nequit, niſi habeat accuſatum, convictum; ſeu potiùs, confitentem reum. Itaque ſacra exomologeſis accedat neceſſe eſt: in qua exercetur dolor peccati; obedientia, reſipiſcentiæ promiſſum, & humilitas: virtutes conciliandæ clementiæ. Recenſet, inquam, pœnitens delicta

Sed recēſenda priùs delicta.

licta omnia; se candidè aperit; secreta sua dicit: ideoque fidem secreti meretur; quod sigillum confessionis vocamus. Nam revelare nefas. Primùm: quia id debetur ingenuæ sui ipsius accusationi; deinde, ut scandalum vitetur; postremò, ne ab hoc facili, & clementi deterreamur foro. Jure merito ergo cautum, & vetitum est acriter, ne Confessio reveletur.

Sub sigillo secreti

Pars tertia Pænitentiæ sequitur, Satisfactio. Hæc nunquam ex condigno reddi Deo potest. Quid enim infinito par? quid summo æquale? Itaque modica illa, quæ à Confessario injungitur pœna, argumentum potiùs Divinæ clementiæ est, quàm satisfactio. Adimplenda tamen accuratè: cùm gratiarum actione obtentæ veniæ, & impetratæ gratiæ.

Tertia pars Pænitentiæ, Satisfactio.

Hæ sunt partes, ac officia istius Sacramenti; quæ Materiam ejus faciunt, Formam autem inprimit absolutio, solemnibus illis verbis: Ego te absolvo, &c. Est medium salutis: ex suppositione actualis (ut loquuntur) peccati (cujus vix quisquam expers est) necessarium. Per hoc detrimenta re-

Forma Sacramenti in absolutione.

para-

paramus, & lucra nova gratiæ acquirimus; A lapſu validiores ſurgimus; verecundiam peccandi, & pacem animi conſequimur.

Quintum Sacramẽtũ Ordo.

Quintum Sacramentum eſt, Ordo; ſeu Presbyterorum Ordinatio, ſine qua vel eſſe, vel ritè diſpenſari nequeunt Sacramenta. Eſt enim Ordo, gradus divinitùs conceſſæ poteſtatis, ad ſacras & myſticas functiones, validè & ritè peragendas. Quæ poteſtas, per χειροτονίαν, ſeu impoſitionem manuum, & Spiritus Sancti ad id munus acceptionem conſecratur, & à Chriſto, & Apoſtolis, ſucceſſione continuatur. Vocatur hic ſtatus κλῆρος: id eſt, ſors, hæreditas, ſucceſſio Domini. Per hunc, jus Dominationis, & ſupernaturalis poteſtatis, in mentes noſtras exercet: cui non opus hìc immorari, quia nec omnibus injunctus, imperatuſque; & eo initiatis, copiosè ab aliis, ex ſenſu Eccleſiæ deſcriptus eſt.

Definitur.

In hoc ſupernaturalis poteſtas.

Sextum Sacramẽtum Matrimoniũ.

Itaque nec Matrimonio inſiſtam; quod ſextum Sacramentum eſt, ſed liberæ itidem voluntatis: cùm verò initur; Magnum in Chriſto, & in Eccleſia. Undè præcepit Apoſtolus; ut viri

dili-

diligant uxores, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam: quam ex latere ſuo ædificavit, novus Adam; ſicut vetus, Evam. Per hoc Sacramentum naturalis copula ſponſione priùs firmatur, & tum ſacratur benedictione; ut non corporum tantùm conjunctio ſit, ſed etiam animorum. Qua de re ſupra meminimus; & ubertim ab aliis tradita, facilè petere potes.

Naturalis copula Sacratur benedictione.

Epilogus eſt Sacramentorum, & ſæpè vitæ; Extrema Unctio: quæ fit periclitantibus ægrotis, ad ſalutem mentis, & corporis. Cujus luculenta eſt mentio in Epiſtola Jacobi: qua rem uſu receptam, traditamque imperat. Materia hujus Sacramenti eſt, Olei unctio; Forma in verbis, quæ in libro Rituali.

Ultimum Sacramẽtorum, & vitæ, Extrema Unctio.

Porrò cùm demonſtratum ſupra ſit; legitimam, & veram poteſtatem Eccleſiæ, ſancitaque ejus, velut manuductione Spiritus Sancti dirigi: Ideo conſequitur; jus & fas illi, quædam circa uſum Sacramentorum ſtatuere, ac ordinare; præcepta ejus rei ponere; quædam in Cæremoniis addere, vel detrahere; & pro moribus, temporibuſque, in melius commutare: Citra tamen eſ-

Licet Eccleſiæ quædã in ritu Sacramẽtorum commutare.

ſentialium immutationem. Ita ut fruſtra ſint Sectarii: dum multa dicunt præter uſum, moremque veterem invecta eſſe; ideoque Eccleſiam arguunt novitatis.

Cultùs hic etſi eximius. Abſolvi de cultu myſtico, quo religio potiſſimùm conſtat: qui apprimè Deo gratus ſit oportet; quia totus ab eo, quia plenus rei arcanæ, & ſacræ; quia infinitis gratiis affluens, & immenſa præmia promittens: ſed qui (pro pudor!) raró dignè impletur; nec niſi à paucis animabus puris, Sanctiſque, & ut ita dicam, à Deo inſeſſis.

Raró dignè impletur.

Magis dæmoni creditur. O Humanam malitiam! aſſentitur facilè dæmoni, falsò magna promittenti; Pactum cum eo init; ſperat quod paciſcitur; præſtat ei imperatum obſequium; ἄλογα multa ejus juſſu facit; ut magiam, præſtigias, & maleficia exerceat: Aſſerenti autem, ac affirmanti Deo non credit; Ludibrio habet juſſa, ſancitaque ejus; Non fidit promiſſis; Pauca, quæ in ſui cultum, & noſtrum commodum certa, nec difficili functione facere, & geſtum aliquod, modo ac ordine præſcripto implere præcepit; fructum exinde ingentem

Abſurda.

Quàm Deo.

tem promittens ; ægrè , & dubitans exequitur.

Hoc nempe eſt , quod Philoſophus erubuit ; quod profanus quiſque contempſit , ac deriſit ; quod Hæreſis , vanæ ſuperſtitionis crimine damnavit ; Ceremonias , inquam , & Ritus aſpernata : & Sacramentorum numerum primùm tollens; mox naturam ipſam , & vim totam . Nam quamvis victa evidenti Scriptura , & veteris Eccleſiæ uſu quædam uſurpat ; tamen eorum virtutem non agnoſcit , & ſimiæ inſtar , geſtu potiùs , quàm re , & fide exprimit.

Aſpernātur hæc profani.

Cum his verò omnibus , quos vel ἀπιϛία , vel κακοπιϛία occupavit ; Quid contendam ? quì reprobis talia approbem ? Olim in liturgia veteri acclamatum ; Foris canes : Et ego certè odi profanum vulgus , & arceo . Abſiſtant, & abſcedant infideles ab his ſacris . Et , (ut Tertullianus dixit:) avolent, quantum volent , paleæ levis fidei ; tantò purior maſſa frumenti in horrea Domini reponetur.

Infidelitas. Prava fides. *Ideoq; ab his ſacris abigūtur.*

Adeſte verò vos , mentes dicatæ Deo ; quibus datum eſt noſſe myſteria

Advocātur verò Sancti.

ejus: vobis ista apponuntur. Sanctis nempe sancta. Haurite ergo de fontibus Salvatoris, ut sit vobis fons saliens in vitam æternam. Venite; comedite Panem, & bibite Vinum; quod Æterna Sapientia, id est Christus, miscuit vobis: & saturabimini ab ubertate domus, & Ecclesiæ ejus; & invenietis requiem animabus vestris.

Pars Capitis Tertia.

De cultu Dei Schetico, seu Relativo; qui creaturis tribuitur, sed propter Deum: ad eumque totus redit.

Cultus relativus erga Deo chara.

DIxi paucis, quæ ad Duplicem Dei cultum. Tertia pars ejus restat: quæ σχετικὴ λατρεία vocatur: Id est; veneratio, & cultus relativus. Talis est erga illos, & illa; quæ Deo creduntur esse chara, & ad eum referuntur.

Deus solus debitè colitur.

Secundũ excellentiam. Secundũ proportionem.

Etsi enim, ut dixi, soli Deo debita κατ' ἐξοχὴν veneratio; tamen κατ' ἀναλογίαν etiam tribuitur creaturis: quatenus nempe impertitam à Deo habent ejus dignitatem. Ille colitur propriè,

per

per ſe, & natura; homines participatione, & dono: Honorati enim ſunt amici Dei; ideo meritò honorabuntur, quos Deus honorat. Et dum hæc eſt gloria omnibus Sanctis ejus; ipſius eſt. Cultus namque illis exhibitus, propriè cenſetur cultus Dei: quia ab illo cauſam, & originem ſumit; propter eum eſt, & ad eum redit.

Creaturæ participatione, & dono.

Hic tripliciter ab Eccleſia Catholica, firmo & conſtanti uſu, (quidquid blaterent hæreſes;) exercetur: & triplex eſt. Nempe erga Sanctos: erga Reliquias: & erga Imagines. Singulos exactè ediſſeram: atque hoc ipſo & à calumnia, & à contemptu vindicabo; & ut dignè impleantur, accendam.

Triplex hic Cultus.

Ordior à cultu Sanctorum: id eſt; partim Angelorum, qui deſertoribus ejectis, in officio perſtitere: partim hominum; quos vita functos, ἀποθέωσις habet. Utroſque (uti ſæpè & ipſum Deum) ablegant à nobis, & removent illi; qui vitæ præſenti immerſi, putant eos, qui ſupra nos, nihil ad nos: & affectu extorres à vera patria, obliviſcuntur olim conturbenalium; & nunc quoque concivium.

Primus erga viventem naturam. Inter Divos relatio. *Angelorũ, & hominum defunctorũ.*

Cũ utrisque nobis consũctio. Atqui non est putandum; cum istis terræ filiis, (ut sic vocem, qui terrena tantùm sapiunt;) non est, inquam, putandum; nos longo nimis intervallo dissitos à Cælestibus, & Divinis esse. *Omnia unum. Nam omnia unum* Παντά τὸ ἕν, dixit quidam è Philosophis. Nescio equidem quo ille sensu: sed profectò tali verum est; ut omnia in quendam circulum, & compendium unitatis redigamus, & coarctemus; Cælestia, inquam, & Terrestria: *Christo nos conjũgente.* præsertim cùm Christus, Alpha, & Omega, imis summa conjunxerit; feceritque utraque unum. Itaque, sicut nefas cum impiis dicere, Deum longè abesse; nec considerare nostra: Ita & Sanctos ejus relegare. Uti enim Dominus propè, imò intra nos est; ita & Sancti ejus cum illo, quia in illo.

Universũ una Civitas. Totum hoc universum, una Civitas est. Ejus summus Princeps Deus: Angeli verò & Homines, seu vita hac functi, seu hìc superstites; sumus concives: statu, gradu, & habitatione dispares, & disjuncti; sed tamen uno ambitu communis patriæ comprehensi. *Ergo omnes vivẽtes Concives.* Ergo consociatio nobis, & commercium cum illis. Etsi enim corpore gravati, sensi-

bus

bus non communicamus; tamen animis in Deo conjungimur. Vident nostra: quia vident & intuentur Deum, in quo omnia nostra. Nec commeare, nec magna spatia emetiri opus; ut nobis adsint, & succurrant. Intuitus, quo fruuntur, Divinitatis ubique præsentis, ad hæc cuncta sufficit.

Angelos esse ex revelatione scimus.

De Angelis primùm dicam: Quorũ ψυχικὴν, νοερὴν, καὶ πνευματικὴν οὐσίαν, id est; animatam, intelligentem, & Spiritualem substantiam; Deum, mediam inter se, humanamque naturam creasse; non modò nullus Christianorum, ex revelationis certitudine, dubitare potest; sed etiam omnes ferè ethnici, & præcipuè sapientiam professi, constanter asseruere. Adeoque hæc firma, & communis est notio; ut simul cum agnitione divinitatis innata, impressaque mentibus humanis esse videatur. Neque id mirum: nam ut animorum nostrorum arbiter Deus; illos liberè, & cum potestate adit, ac ingreditur; Ita ei proximi spiritus, subtili sua natura, facilè quoque sese nobis insinuant, ac innotescunt.

Et è consensu humani generis.

Nã ei innotuere.

Produxit eos Deus testandæ Bonitatis causa. Produxit verò eos Deus; primũ Bonitatis suæ testandæ causa; & purissimas Sanctissimasq; hasce substantias, compotes summæ felicitatis fecit ideo; quia bonus, & benè illis voluit. Deinde produxit; ut eorum ministerio, & famulatu *Et magnificentiæ.* uteretur. Non quò egeret; qui sine ullius ope, vi sua movet, regit, & continet universa: sed ut magnificentiã ostẽderet; tot myriadas sibi ministrantium, & tantæ dignitatis procreando.

Pars eorũ lapsi. Eorum pars magna, dum se miratur, & sibi complacet; in superbiam primùm, mox in interitum gloriæ lapsa. *Pars mãsere in novem Choros distincti.* Qui in officio mansere; firmati gratia, Hjerarchiam Cælestem, in novem Choros, seu ordines distinctam, (ùt Gregorius testimonio Scripturæ numerat, & comprobat;) obtinent: omnes cum adjuncto sibi proprio munere: ac officio. Angeli sunt, qui minora; Archangeli, qui summa annunciant. Throni Θεοφόροι; quibus insidet quodammo- Deum ferentes. do Deus: & hæc insessio, tranquillitas est. Dominationes; qui Sabaoth, seu ex- *Eorum officia recensentur.* ercitus; quibus imperatoria, & bellica vis in hostes Dei. Principatus; quibus cura gentium. Potestates; quibus regimen

meu animorum. Virtutes; per quos miracula. Cherubin; quibus plenitudo ſcientiæ. Seraphin denique, ſeu ardentes; quorum flamma amor eſt. Hæc ferè illis ex vi nominis, aut conjectura, à ſacris Scriptoribus aſſignantur. Et certum eſt, quòd primogeniam hanc, perfectiſſimamque naturam, admirando ordine, & diſtinxerit, & ſociaverit Deus. *Ex vi nominis, & ſententia Sanctorũ*

Omnes autem hoſce, eſſe Spiritus adminiſtratorios, in miniſterium miſſos, propter eos qui hæreditatem caperent ſalutis; in confeſſo eſt. Mandavit enim Deus, ut nos cuſtodiant in omnibus viis noſtris; ut nos manibus ſuis portent; ut comitentur nobiſcum. Adeò, ut puſillorum etiam Angeli, aſſiſtant illis; & ſimul in cœlis videant faciem Patris noſtri. Magna verò hæc (ait Hieronymus) dignitas animarum: ut unaquæque habeat, ab ortu nativitatis, in cuſtodiam ſui, Angelum delegatum. Qui varium erga nos implet officium; & juſſu Dei, & ſua natura. Amant enim genus humanum. Et non ſolùm illis (inquit Bernardus) dignitas eſt admirabilis; ſed etiam dignatio ama- *Omnes ſunt adminiſtratorii.* *Et ſingulis hominibus cuſtodes.*

amabilis. Gaudium est illis, & profectu nostro; & contra, si tristari possent, amare flerent Angeli pacis, in ruina justorum.

Magna nobis præstant. Hinc manant prolixa, & luculenta, quæ nobis testantur, officia. Hinc est illa, à Dionysio verè asserta, & beneficio eorum adjuta animorum κάθαρσις, φωτισμὸς, τελείωσις: id est; purgatio, Illuminatio, Perfectio, quam in mentibus nostris procurant; & qua, in suam nos vertere satagunt naturam: ut *Quæ enumerãtur.* nempe ætherei, spirituales; id est, à corruptione hac terrena, & carnali liberi simus. Hinc ortus, educationis, vitæ totius curam gerunt; Dæmonis insidias detegunt, insultus arcent, vim reprimunt; opportuna consilia, & monita suggerunt; orantibus assistunt; preces Deo offerunt; in ultimo vitæ agone tutantur: Functos vita hac, excipiunt; & ad Beatorum societatem transferunt. Sed nec singulis tantùm *Regnorũ, ac populorum sunt protectores.* opitulantur: Regnorum etiam, ac Populorum protectores sunt; ut patet ex certamine illo apud Danielem, Angelorum pro Persis, Græcis, ac Judæis. Quo strenuè funguntur, donec illis volun-

luntas innotescat Dei. Quin imò, non modò quæ ad æternam, sed etiam quæ ad præsentem vitam faciunt; eorum ope sæpe obtinemus. Nam, ut maligni spiritus, permissu Dei, corporibus (ut in Jobo apparet) valetudines infligunt; & maleficia, & acerbos casus: Ita illi morbos corporis (ut Raphael cæcitatem Tobiæ) curant; iis medentur, & pericula arcent. Deinde in adiaphoris, verè ἀνθρώπων διδασκάλοι (ut eos Athanasius vocat) industriam humanam juvant; Artes, & artificia occultè docent; Naturam, & vim abditam rerum suggerunt. Hæc inquam cuncta, & multò plura, eorum habemus beneficio: Non ut divina dona suppleant; sed ut ministerio injuncto studiosè fungantur.

Etiã res vitæ præsentis procurãt.

Hominum Magistri.

Et res adiaphoras.

Cùm autem jussu Dei talia, ac tanta, & possint; & sciant; & velint, nostri causa: Deinde, cùm tot ab illo dotibus præditi, ornatique sint; nobisque longè præstantiores effecti: Ideo cultum illis sui generis deberi, & invocationem, nemo sanus dubitaverit. Id meritum eorum, id gratitudo, id nostra requirit necessitas: id denique non mo-

Ideo merẽtur coli, certo modo.

Ad Dei gloriam. modò nihil detrahit Divino cultui; sed potiùs eum auget: ceditque in honorem Domini, honor famulitii ejus.

Cultus Beatorũ. Jam verò transeo ad cultum Beatorum, qui in Domino moriuntur; quorum animæ in manu, & conspectu ejus; visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, & vita Beata fruuntur. Horum quoque Hierarchiam, & ordinem agnoscit Ecclesia; eum nempe, quem hic tenuere. Primùm Patriarchæ ponuntur; Patrumque cætus, Agmina canora vatum: &, quo non surrexit major, Baptista Christi prævius; summique cœli claviger, cum cæteris Apostolis: Evangelistæ, & Discipuli Domini: cohors triumphans Martyrum: tum candidati pręmio Confessionis Pontifices, & almus Sacerdotum chorus: Monasticam professi; & quos Eremus incolas transmisit astris: Chorea casta Virginum, cum alio fæmineo cætu.

Eorum Hierarchia describitur.

Inter omnes eminet Virgo Sanctissima. Sed inter istos omnes immensùm eminet, ideoque seorsim dicenda est, Sanctissima Dei Genitrix *Maria*: non homines tantùm, sed etiam Angelos, plenitudine gratiæ supergressa: & tantò

tò melior illis effecta; quantò excellentius præ illis nomen obtinuit; cùm Filium Altissimi genuit: meritoque vocata Mater Dei. Cùm enim humanitati Christi, in unitate personæ annexa, & inseparabilis sit Divinitas; ideo carnem ex Carne Mariæ sumpsit, natusque ex illa est Homo Deus. *Quia Dei genitrix.*

Prærogativa hæc, & electio in Matrem, causa est: cur compos sit totius, quidquid infra Deum, magni est. Et quòd (ut ipsa Magnificans Deum cecinit) fecit illi magna, qui potens est: & Sanctum nomen ejus. Hinc est: quod etsi humillima coram Deo esset; tamen victa beneficii magnitudine, in Domino glorietur. Ecce enim, (inquit) ex hoc, beatam me dicent omnes generationes. Hinc ab Archangelo plena gratiæ, Deo conjuncta, & benedicta salutatur. Hinc ab Elisabeth, Mater Domini; & beata, quòd credidisset, dicitur. Hinc, est decus supremum, unicum ornamentum, apex, & Princeps rationalis creaturæ; Generis humani gloria; Naturæ nostræ, in unitatem & consortium Deitatis sublimatæ, instrumentum, Cooperatrix Redemptionis; *Et exinde immensùm dotata.* *Quod ipsa confitetur.* *Archangelus testatur.* *Ejus debita elogia.*

nis; quia Incarnationis ministra: & quia, ut ex Spiritu Sancto conciperet, pareretque; assensum præbuit, expetita.

Ornavit eã Deus causa impositi muneris.

Si solemne Deo est, ad munus quod nobis injungit, parem præstare gratiam; ideoque idoneos fecit (inquit Apostolus,) ministros novi testamenti; & cumulavit eos potestate varia, ac virtute: Quid non fecisse censendus est in electa hac, ad Matris munus dignè sustinendum?

Causà suæ in parentem pietatis.

Si honorare Parentes præcipit; quomodo non ipse honoraverit hanc, quæ illi quà homo est, Parentis utriusque implevit officium? Si gloria filiorum, (inquit Salomon) Patres eorum; quomodo non gloriosam fecerit, quam sibi in Matrem elegit, nasciturus in hominem Deus?

Et suæ ex illa gloriæ.

Immensa profectò est hæc dignitas; & infinitis ornata dotibus; ideoque nullis dignè explicanda verbis.

Est post Christum Mediatrix.

Meritò igitur Regina hæc Sanctorum omnium, ab Ecclesia cultum hyperduliæ (ut vocant) obtinet. Meritò Sanctorum Patrum pænè innumeris celebratur encomiis, & ab optimo quoque studiosissimè colitur. Denique meritò

ritò secunda post Christum est mediatrix; post illam verò, & Sancti cæteri. Etsi enim solus mediator Christus; tamen & huic, & reliquis, sui generis μεσιτεία tribuitur: & est, non modò citra Mediatoris supremi injuriam; sed ad ejus gloriam potiùs. Totam enim vim, & pondus ab illo accipit; & eatenus efficax, quatenus, qui illa funguntur, Deo grati, & chari sunt.

Mediatio *Post illā alii Cælites.*

Colimus ergo eos cultu dilectionis, (inquit Augustinus) & societatis; quo in hac vita coluntur Sancti Dei homines: Et sicut horum preces expetimus; ita & illorum, qui in illa regione sunt viventium. Et quidem tantò devotiùs; quantò post certamina superata, & propter charitatem, quæ in illis non modò non cessavit, sed aucta est, securiùs. Colimus, inquam, publicè primùm; dum sacrificia offerimus non illis, sed, Deo, in eorum memoriam: Templa, & aras, in eorum nomine, Deo struimus, & dedicamus; dies festos illis assignamus, & læti peragimus. Hæc publico instituto.

Ideoque colendi omnes. *Publico instituto.*

Privata verò officia, quibus illos devincimus, potissima sunt: vera, ac debita

Privata devotione.

bita æstimatio, & dignitatis agnitio. Revocando in memoriam vitæ, ac mortis eorum narrationem; quo munere functi, quanta gessere, quanta meruere: Idque non censoria nota, diiudicatione; sed debita reverentia. Celebrare, inquam, illos; Gratias illis agere; gratulari; & Deum pro gratia illis impertita, & præmio reddito laudare.

Memoriã actæ eorũ vitę recolendo.

Deinde; inire, quodam modo, cum illis amicitiæ pactum; & arctiori vinculo mutuæ charitatis adstringi; se eorum cultui devovere: Velle quæ illis grata sint; In eorum honorem curam, & operam impendere: Cum illis tanquam præsentibus agere: vel conari; ut cum illis, in cœlis sit conversatio nostra: Et denique, quia amicitia non est nisi inter similes, imitationem eorum animo proponere, eique magno studio conformari. Tertiò; cum fiducia eos precari; ut suo interventu impetrent, quæ sciunt necessaria nobis esse. Et præcipuè, ut cum illis dignè laudemus Deum: nunc per gratiam; olim in gloria.

Amicitiã ineundo arctiorem.

Opem implorando.

Cæterùm, cùm inter functos vita, pars fruatur gloria, de quibus jam diximus;

Huic cultui adhæ-

mùs; pars damnati sint, cum quibus nulla nobis ampliùs societas; pars denique nondum felicitatis compotes, sed ejus tamen post expiatas culpas securi, quibus nos charitas conjungit, opemque nostram exigit: Ideo meritò, & opportunè cultui Sanctorum attexendum est id Catholicæ pietatis officium, quo defunctos prosequimur. Meritò, inquam: nam in lacu miseriæ gravissimis afflicti pœnis, post elapsum merendi tempus ipsi se juvare non possunt, sed nostris possunt suffragiis, variisque bonis operibus, quibus Deus placatur: ut in hoc sæculo non remissa, in futuro remittantur. Hoc officio functi, & Charitatem Deo gratam implemus, & de illis ita meremur; ut liberati abundè rependant. Ergo, cum Juda illo Machabæo, salubris est cogitatio, pro defunctis orare; ut à peccatis solvantur, & salventur.

ret pro defunctis exoratio.

Qui Juvandi à nobis.

Sequitur cultus Reliquiarum; qui manat à debita æstimatione Sanctorum: quorum cùm pars melior, id est anima, jam juncta Deo sit; altera verò (propriè non mortua, sed data somno;) nempè corpus, hic felicem resurrectio-

Cultus reliquiarum cur congruus

nem expectet: Meretur certè & hæc, eum honorem, quem ei Ecclesia deferre solet; dum, inquam, sacra hæc corpora, quæ membra Christi fuere, & templa Spiritus Sancti, convenienti cultu veneratur. Qui & gratus sit Deo, quia amicis ejus exhibitus, necesse est; & puras illas, perfectasque animas, facilè ad vicem gratitudinis obstringit. Itaque ab Apostolicis usque temporibus, usu continuo Ecclesiæ retentus: Dum Martyrum præcipuè corpora, ossa, cineres, sepultura primùm digniori, & accurata; post etiam structura templorum venerata est: Eorumque adire monumenta; propè ea sepeliri; supplicationes & sacrificium supra aras, in quibus reconditæ reliquiæ essent, offerre; festos dies in eorum memoriam agere; usitatum, religiosum, ac solemne fuisse; passim, apud vetustissimos Ecclesiæ Scriptores, reperies.

Gratus Deo, & Sanctis ejus.

Usitatus semper.

Cultus Imaginũ ad prototypum transit.

Tertius denique cultus, est Imaginum: non minùs prisco ritu ab Ecclesia receptus, retentusque. Sed horum totus honor transit ad prototypum: Estque relativus alia ratione, quàm

cultus

cultus Sanctorum. Nam, quæ exhibentur Sanctis, etsi primariò Deum respiciant, ad eumque referantur; tamen & illos quoque contingunt, & quodammodò etiam iis adhærescunt. Quia nempe vivens, & rationalis natura, talis officii non est incapax. At honor erga inanima, purè relativus est; totusque transit ad alium: nec manet in re tali honorata, nec manere potest. Nihilominùs, quòd meritò deferatur; idque propter eum, cujus memoriam repræsentat; Arcæ veneratio; & in illa tabularum legis, ac virgæ Mosaicæ; tum efficacia fimbriæ Christi, immò umbra Petri sat evincit, comprobatque. Et frustra hic idololatriam crepant heterodoxi. Ea enim est in honore, & cultu cacodæmonum, eorumque Divina in Idolis adoratione.

Estque purè relativus.

Meritò exercetur.

Cæterùm totus hic scheticus, de quo hactenus egi, cultus; præter Scripturæ testimonia, quæ suis locis attulimus; vel certè, tanquam intento digito monstravimus: Tribus præcipuè nititur fundamentis. Primùm; aperta convenientia, ac merito rei: Deinde, usu continuo, & approbatione Ecclesiæ:

Cultus scheticus fundatur.

Convenientia rei.

Usu continuo.

 Ter-

Tertiò, (quod omnem dubitationem amovet) ipſo Effectu admirando. Clara enim, & manifeſta miracula, tot ſequentia ſigna, apparitiones denique Sanctorum, fide teſtium omni exceptione majorum factæ, ſatis ſuperque rem firmant, comprobantque. Adeò, ut talibus non aſſentiri, ſed inficiari; & contra tot ſæculorum teſtes negare; profectò, & pravè pervicacis ſit, & graviter impudentis.

Effectu admirando.

Profitemur ergo conſtanter ejuſmodi cultum: & innumera exinde, quotidie capimus ſolatia: apertaque habemus argumenta, & audiri nos, & juvari à Beatis illis, Sanctiſque mentibus. Experimur, inquam, & gaudemus; imò gloriamur, ſocietatem nobis eſſe Civium æternorum; nec avelli ab ea, morte ipſa. Itaque fidenter eorum opem imploramus: & ut pro nobis interveniant, petimus lubentes, & meritò.

Meritò itaque eũ profitetur Catholica Eccleſia.

Adſis verò, tu inprimis, Regina Cœlorum, Deipara Virgo: & ex illa tua plenitudine gratiæ, in nos guttas ejus, vel ſcintillas emitte. Potes certè. Quid enim Filius omnipotens negaverit

Clauditur locus oratione ad Virginem Sanctiſſimã.

Opti-

Optimæ Matri? Voles etiam: quia Mater es omnium: & quidem testamento Joanni, & in illo nobis data. Effice ergo tuis precibus animas nostras, quodammodò Marias; id est, fœtas Deo: ut formetur in illis Christus; & fiat nobis sicut tibi, secundum Verbum Dei: quod in te Caro factum, in nobis maneat in æternum.

Adeste deinde vos, Beatorum Spirituum Ordines. Et ut in Spiritum versi, Deum vobiscum laudemus; orate, & juvate. Deinde, vos Cœlites, apud Dominum subvenite laborantibus in via hac, quam emensi feliciter estis. Ut quod infirmitate nostra non valemus, vestro interventu assequamur. Per Christum Dominum Nostrum. Fiat, Fiat.

Ad Angelos.

Ad Cælites.

CAPUT III.

Περὶ Θεοφιλίας:

SEU

De Amore Dei.

Tertium libri hujus, ultimumque tandem totius operis Caput, mihi superest explicandum; quod pari cura, studioque exequar: imò,

Ultimum Caput de Amore Dei.

quia metæ jam proximus, fortè an majori? Postquam enim de notitia, cultuque Dei dixi; de Amore demum ejus restat dicendum: & hic terminus, ac finis statuendus, ad quem non officia tantùm omnia referuntur, sed tota rationalis natura propendet. Nam pondus ejus, amor est; amoris autem terminus, bonum; boni verò fons, immò ipsummet bonum, Deus.

Ad quem natura rationalis fertur.

Ad hunc ergo finem veniendum. Et frustra Probus, Charitatisque cultor; si non verè Pius, id est, Dei amans sis. Frustra deinde eum noveris, & colas; si non ames. Nec potiri ac frui potes; si non appetieris; nec appetere, nisi per Amorem. Quem ei soli debitum, cùm de μετριοπάθεια agerem, demonstravi.

Alioqui frustra sunt alia officia.

Moderatione affectuum.

Ibidem deduxi: summam energiam ejusdem esse, in transmutatione. Transmutatio autem hæc, non fit (ut item supra dictum) amatum in se convertendo; sed se in amatum. Nam voluntas transire conatur in id, quod appetit; Id fit, quod amat: Ita ut amare; sit, se relinquere; à se exire, & in amatum transire.

Amor transmutat.

Quin immò, si rectè expenderis; agno-

agnoſces: quòd ne id quidem propriè agat, ac moliatur verus, & ad verum bonum amor, ut tranſeat in amatum, id eſt, ut quodam ambitu illud invadat, & occupet: ſed agit in ſe; ut ſe evacuet, exproprietur, perimat, & annihilet, quò pateat, & vacet amato; illudque recipiat, patiatur, ac induat.

Seipſum perimendo.

Hoc verò fit, & impletur tribus gradibus: nempe Mortificatione; Abrenunciatione; & Abnegatione. (Utar enim fidenter verbis, quæ Chriſtiana Sapientia fecit nova.) In his tribus, inquam, ſitum rationalis naturæ, veri erga Deum amoris officium, meritum, & præmium. Cujus rei ipſemet Chriſtus dedit nobis documentum, & exemplar. Cui inſiſtendo, tres haſce partes, Capite iſto, explicabo. Et ex illis fundamenta τῆς θεοφιλίας oſtendam.

Quod fit tribus gradibus

Unde tres capitis partes. Amoris Dei.

Pars Capitis Prima.

De Mortificatione; cujus natura, & ratio explicatur.

INter complura dicta reconditi ſenſus, & veritatis Philoſophorum veterum æſti-

Philoſophia, mortis meditatio.

æstimavi, & admiratus sum semper; quòd Plato, aut quisquis ille, definiverit Philosophiam, μελέτην θανάτου: vertere id solent, mortis meditationem; & explicant, ut novissima cogitemus, vivamusque memores lethi. Sed altior paulò mens, opinor, est istius definitionis; quam explicat alibi Cicero: dum à corpore animum avocare, & abducere docet Sapientem; & quodammodò consuescere mori. Ita ut Philosophia, ex definitione ista, propriè sit, cura mortis: per quam animus corpus abdicat, ac linquit, seque ab illo secernit. Quare hoc commentemur; (inquit Cicero,) disjungamusque nos à corporibus; id est, consuescamus mori. Hoc; & cùm hic in terris sumus, erit cælesti illi vitæ simile: & cùm illuc ex his vinculis emissi feremur; minùs tardabitur cursus animorū. Quò cùm venerimus, tunc denique vivemus: Nam hæc quidem vita, mors est.

Id est, animi à corpore abductio.

Quod explicat Cicero.

Quod impletur primùm Mortificatione.

Non sine Deo.

Præclara profectò verba; sensusque in illis eximius, & altus: qui sanè οὐκ ἀθεεί, etsi profanis illis mentibus insedit. Hoc est enim, quod Christiana profitetur, & agit Mortificatio; Abrenunciatio; & Abnegatio.

Mor-

Mortificatio inprimis, quæ mihi est, Mors carnis. Ut nempe eam cum suis concupiscentiis, exemplo Christi, & admonitione Apostoli, crucifigamus. *Seu morte corporis.*

Porrò cùm de ἀναμαρτίσεια agerem; triplicia concupiscentiæ carnis vitia deduxi. Mollitiem nempe, Gulam, & Libidinem: ijsque post, in Εὐπραξίαν præceptis, Virtutem Temperantiæ opposui: cujus partes, Abstinentia, Frugalitas, & Castitas; præscriberent prudentem usum eorum, quæ debentur carni. Nunc verò Mortificatio, de qua agimus, hunc ipsum quamvis temperatum usum arctat magis; & penè tollere nititur: dum, quantùm potest, minuit ejus necessitates. Impeccabilitate. *Et ejus necessitatũ diminutione.* Exercitii virtutum.

Quantulum enim hoc esset, carnis supervacanea sprevisse? hoc bruta etiam faciunt, præscribente natura. Christianus, qui verè æterna, & Deum appetit; tum se profecisse putet; cùm carnis necessaria incipiet aspernari, & penè odisse. *Ac penè odio.*

Sed non tantùm necessaria detrahere; sed etiam eis contraria docet usurpare Mortificatio: ut nempe hac ratione *Et contrariorũ optione.*

tione

tione animus plenè vincat, & perimat adversantem semper, & inimicam hanc sui partem; & à concretione mortali sese vindicet, homo animalis esse desinat, & in Spiritum se convertat.

Contra mollitiem asperitate.

Itaque, contra Mollitiem: vel dura eligit, & aspera, accersitque ultrò dolorem; & variè affligit, castigat, & in servitutem redigit corpus; vel oblatas, impositasvè aliunde ejus molestias acceptat; & constanter, ac patienter tolerat. Defricta autem hoc acri sale caro, non facilè corrumpitur; & disciplinæ patientior, & studiosior fit virtutis. Contra Gulam jejunium adhibet, & inediam; quam, cibum virtutis, vocavit Leo: & quam, mira prorsus continentia Sancti illi, & præsertim Anachoretæ exercuerunt: ita ut vix eguisse amplius esu, visi sint. Tertiò; contra Libidinem, virginitatem amplectitur: eamque in vitam totam, voto etiam obstringit, devincitque. Hac ratione minuitur primùm, mox planè interit caro; & per afflictiones, concupiscentiis moritur; & molesta esse animo desinit.

Contra Gulam jejunio.

Contra libidinem virginitate.

Præcepta ejus, & monita.

Modum hujus saluberrimæ exercitationis; & præcepta, monitaque ad eam

necessa-

necessaria, habes apud Scriptores Asceticos. Præcipua sunt; ut ratione fiat; non anxiè; placidè, sobriè intra mensuram; ut hypocrisis, ostentatio, faciei exterminatio, & complacentia denique vitetur. Ideoque Mortificatio tecta, & occulta; optima. Deinde; ab alio imposita, imperataque; nempe à potestate Ecclesiastica, cui parere tenemur: &, si libenter facimus, atque cum cura; meritum augemus. Ejusmodi, inquam, Mortificatio, dictis vitiis, non facilè obnoxia est.

Dum tegitur, optima.

Cæterùm totum hoc, ab una causa oriri, & ad finem unum referri debet; nempe ad amorem Dei: qui, cùm non mansurum se in homine dixit, eò, quòd caro sit; Ideo, hunc primum obicem carnis amovere oportet; ut nobiscum manere velit. Hunc, inquam, primum gradum scandere opus; ad Divinum amorem, ascendere conanti. Id Christus, vita sua nos docuit: & exemplo. Ad hunc agonem invitans; si quis, inquit, vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me. Et iterum; qui non tollit crucem suam, non est me dignus. Hoc est auctoramentum ejus mili-

Ex amore causā habeat, & finem.

Id Christus docuit & mōstravit.

militiæ, cui dedere nomen omnes, qui ei olim compassi, nunc corregnant.

Pars Capitis Altera.

De Abrenunciatione; cujus vis, atque modus declaratur.

Abrenunciatio est Mors cupiditatis.

ALter potiundi amati, ejusque in se derivandi gradus, seu modus est, Abrenunciatio; quam voco Mortem cupiditatis: ut nempe rerum externarum, omnis appetentiæ prorsus vacui, toti vacare amori Divino possimus.

Et abdicatio externorum.

Quod ut impleamus; non modò concupiscentiæ oculorum, seu avaritiæ opponere justitiam, ejusque recensitas partes; quibus rectus usus eorum, quæ extra nos, præcipitur, oportet: sed omnem affectum, & penè usum etiam ipsum, ac sæpè possessionem abdicare. Hoc enim & ratio requirit, & exemplum; & demum edictum Christi.

Quibus nō potest jungi amor Dei.

Ratio primùm: quia infinitum rectè amari non potest, nisi toto amore. Si eum, ad finita deflectis, & partiris, ac dividis; jam fornicaris, & adulteras. Amor enim Divinus, ob dignitatem solidam,

lidam, & indiviſam, non fert rivalem. Impatiens conſortis eſt, quia ſolus eſt. Totum totus requirit. Ignoratio itaque, oblivio, vel contemptus veri boni eſt; alia præter illud conſectari: & tam vilia, & abjecta ei ſociare; injuria, & offenſa. Exemplo deinde docuit Chriſtus: nil externum appetere, nil poſſidere; ſe ſolum contentum eſſe. Deniq; edixit: omnis, inquit, ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

Exemplo Chriſti abdicāda.

Id fit partim affectu, partim re ipſa. Quoad affectum: hunc ut valde moderatum, aut pœnè nullū, ad externa omnia habeamus; firmare inprimis oportet animum vera eorum æſtimatione. Ea nempe; quam ſchola Chriſti aliter, quam olim Philoſophia docet. Etſi enim Stoici, magno animo, ſola bona, quæ honeſta; mala tantùm, quæ turpia, vocavere; alia verò ἀδιάφορα, ϗ οὐδέτερα; id eſt indifferentia, & neutra: Attamen hæc εὔχρηστα, ληπτά, ἀξίαν ἔχοντα, id eſt commoda, acceptanda, æſtimationem habentia, docuere; &, ſi optio daretur, eligenda; ac anteponenda. Chriſtiana verò ſapientia longè ulteriùs

Affectu primùm.

Non modò indifferentia cenſenda.

Sed etiā non eligenda.

teriùs in vilipendio, & aspernatione talium progressa est: Non modò ea non bona, & adiaphora dixit; sed ἀλη-πτα etiam; ϰ̀ ὀυϰ ἀιρετὰ eo ipso ostendit; quòd his contraria, & opposita; Paupertatem nempe; uti & dolorem, ac luctum vocavit non modò non mala, sed etiam beata. Quòd æterna nobis assignavit; ea, contemptu mundi hujus, parare docuit; eorum spe, hæc aspernari jussit; non hìc thesaurizare, sed in cœlo.

Nō acceptanda, nec eligenda. *Et illis cōtraria præferenda.*

Manifestum ergo est: mundum in æstimatione talium aberrare: cùm Christus, æterna Sapientia, qui nec fallere, nec falli potest, contraria anteposuerit. Meritòque imitati eum; qui sunt ejus. Unde Apostolus omnia externa, & detrimenta vocavit, & retrimenta: sibique mundum dixit crucifixum, & se mundo. Talem animum, similemque mentem, omnibus habere oportet, qui Christiano nomine censentur: & non affectu hæc possidere; sed usu.

Hoc veri Christiani secuti.

Quantò autem altiùs non possidere! & re ipsa abjicere! Hoc est demum, pressè insistere vestigiis Christi: hoc obtemperare consiliis ejus. Suasit enim ille: si vis perfectus esse; vade, & vende

Approbate Christo.

omnia,

omnia, quæ habes, & da pauperibus. Habuitque tot sibi obsequentes, qui relictis omnibus secuti sunt eum. Adeòque hæc derelictio ei placuit; ut cuidam de hæreditate herciscunda sollicito, & ut divideretur ab eo petenti, detrectaverit; subjunxeritque: videte, & cavete ab omni avaritia; quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet. Ante verò discipulis edixerat: Nolite possidere. Ne verò egestatem timerent; vario exemplo Divinæ providentiæ commonuit: &, qui dedit animam, & corpus; daturum certò alimenta, & vestem promisit. *Et eo invitante.* *Et providere promittente.*

Meritò itaque Abrenunciatio acceptanda: non modò quia jussa, aut suasa; sed quia ad amorem divinum necessaria; & hoc potissimùm fine, si non re ipsa, saltem animo & affectu implenda. Magnum enim obicem curæ hujus seculi ponunt Deo; prohibentque, ne animos nostros invisat, & intret: Non potest esse hospes sollicitæ mentis, & turbatæ circa plurima; sed quietæ, vacuæ; & illi soli vacantis. *Meritò itaq; hoc agendum.*

CA-

Pars Capitis Tertia.

De Abnegatione: quæ describitur: ostenditurque, quomodò tandem Θέωσις *proveniat.*

Indivinatio, Vel Deificatio.

Abnegatio necessaria.

NOn satis verò est, ut Deo vivas, carne, & cupiditate mori: non potes eum sequi, nisi non modò ista, quæ tibi adhærent; sed etiam teipsum deseras. Non potes verè eum amare; nisi non modò tua, sed te etiam oderis. Denique; Deus in homine non erit; (inquit verè Bernardus;) si de homine, in homine, quidpiam superérit. Necessaria itaque post Mortificationem, & Abrenunciationem, Abnegatio: estque hic tertius, ultimusque gradus ad amorem Dei. Per hunc enim, dum animam vacuam prorsus invenit Deus; eam ingreditur: inhabitat, replet, compotem sui facit, & amantem vera fruitione dignatur. Definitur, sui ipsius mors.

Ad amorem Dei.

Ejus mẽtio supra.

Modum ejus, & rationem jam attuli in parte; cùm tertium, supremumque Fortitudunis gradum explicarem. Ibi enim deduxi; in victoria proprii Spiritus,

tus, & quadam animi morte, culmen virtutis consistere. Huc ergo id pertinet; & uberiùs explicandum est. Humilitatis enim, de qua ibi actum, consummatio est in ea Abnegatione, quam Deus veram videat.

Fit verò illa; quadam abdicatione animi facultatum; earumque Deo mancipatione. Nempe, memoriam ad omnium imaginum, & Phantasmatum copiam, clausam, & Deo obsignatam habendo; & continuò hunc unum cogitatione respiciendo. In intellectu, procaces, & (ut ille ait) rabidè furentes ratiocinationes frænando; & ad jussum Dei, præscriptũ, præceptumq; fidei, ac regulam credendi, firmiter alligando. Deniq; propriam relinquendo voluntatem; libertatemque datam arbitrii, velut restituendo Deo: & ut fiat voluntas ejus sincerè petendo, curando, implendo.

Fit, memoriam Deo obsignando.

Frænãdo intellectũ

Volũtatẽ mancipando.

Hinc prodibit exigua, aut potiùs nulla virium suarum fiducia. Hinc subsistet quisque in se; ne rapiatur supra se. Hinc ad omnia, quæ nos attollere possint, respondebimus illud Joannis: Non sum. Hoc enim nobis propriè convenit; Nam, qui est; solus DEUS est.

Suũ Nihil agnoscendo.

Quicunque autem existimat se aliquid esse, cum nihil sit; ipse se seducit.

Hæc est Christi doctrina, & exemplū. Id Christus & docuit, & monstravit; cùm beatos pauperes Spiritu dixit: id est; non externorum modò, sed sui etiam vacuos. Cùm discere à se jussit; non mundum fabricare; (inquit Augustinus) non mirabilia facere; nec mortuos suscitare: sed se abnegare; id est; humiles corde esse: Cùm semetipsum exinanivit; formam servi accepit; se totum obtulit; posuit animam, aut perdidit, propter Deum. Et denique edixit: qui vult venire post me, abneget semetipsum, & sequatur me.

Quod eximiè ostendit Crucifixus. Sed uti priores duas partes, Mortificationem nempe, & Abrenunciationē; ita potissimùm Abnegationem implevit exactissimè; in theatro illo miri exempli; & eximiæ virtutis; In throno veræ, ac solidæ constantiæ; In nova cathedra mundo ignotæ doctrinæ; In arbore abditæ, & cælestis scientiæ: in Cruce, inquam; quæ ex hinc facta est virtus Dei, & sapientia vera. In hac, inquam, factus gratum Deo, & necessarium hominibus spectaculum: quæ tota vita docuit, & egit; illustri confirmavit, &

testa-

testatus est Epilogo. Ibi dolorem, egestatem, contemptum, ferenda ostendit; meriti, imò debiti causa. Ibi fixus manus, pedesque; & ut figeretur, factus obediens, immolavit sui arbitrium: & corpore, fortuna, animo oblatus est; quia ipse voluit. Ibi, (quod maximum:) in tanta corporis afflictione, omni consolationi internæ renuncians; angorem summum, tædiumque, ac derelictionem Dei, ad animum admittens; sola se sustentans in se collecta, ac invicta patientia; nec succumbens; hominem exuit, triumphavit, Deo impendit: & hoc ipso infinitùm meruit, præstititque. Ibi denique, postquam elevatus est, traxit omnes ad se. Ibi, monuit per Apostolũ: ut nihil scire velimus, nisi JESUM, & hunc crucifixum. Invitavit per eundem: ut Christo simus confixi cruci; mortificationem ejus in corporibus portantes, pauperes Spiritu, ac improperii ejus libenter consortes. *Quod fusè describitur.*

Quòd verò ea ratione exactissimè Dei amor acquiratur, impleaturq; manifestũ exinde est: quia sui ipsius amor occiditur. Qui verò amat animam suam, perdet eam; & qui eam perdit propter Deum, *Eâ ratione impletur Dei amor.*

um, eam invenit, etiamsi non quærat. Non, inquam, verus Dei amans, eam quærit: nec hoc agit; ut ex officio amoris divini, bene ei sit; id enim jam esset amoris proprii: sed omnis præmii oblitus amat Deum primùm, quia meretur; imò debet amari: cum sit unicum & totum naturæ rationalis bonum. Deinde, quia ipse prior dilexit nos: & ex hac dilectione se immensum communicavit, in bonis naturæ, gratiæ, gloriæ. Communicavit, inquam, peculiariter humanæ naturæ; etiam supra Angelos: idque in Incarnatione, & Eucharistia. Postrema demum causa amoris Divini est: quia eum amare volupe est; & expedit. Volupe inprimis; quoniam suavis est Dominus: & quicquid hic pulchrum, delectabile, jucundum; ab ipso originem habet; scaturigo ejus parva; gutta, & umbra est boni illius infiniti. Expedit deinde; quia benignus, summè beneficus, & ipsa felicitas: qua adepta; secura ac beata quies, unaq; pax animo. Diliges itaque ob præceptum, meritũ, debitum; & ultimò, præmium. Diliges inquam, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima, ex tota vir-

Qui debitus Deo.

Qui prior dilexit nos.

Suavis est Dominus.

Et beneficus.

Ideo toto corde amandus.

virtute, ex omnibus viribus, & ex tota mente.

Ab hoc amore prodibit ὁμοίωσις, ἀκολουθία, & deinde θέωσις. Id est, Assimilatio, Assectatio, & (ut ita vertam) Deificatio. Priores duas partes, dum eruditè Lipsius, ex scitis veterum, & Stoicorum præsertim, deducit; Luculenter profectò, quantùm profana Sapientia ad Divinam assurrexerit, ostendit. Meritòque miratur, quomodò ad profanos augusta hæc, & sancta, vel delata sint, vel illapsa. Utrumq; probabile esse Clemens Alexandrinus dicit. Dum Plato, (inquit) hæc docuit: seu concurrens cũ dogmate legis; (solent enim magnæ mentes, nudæ affectuũ, veritatem attingere:) seu id è sacris didicit; uti semper cupidus omnis doctrinæ. Quanquã profectò, si inspicis; parcè illi, & languidè Spitalia, quæ ducunt ad Deum: nec eo Spiritu, quo propriæ rationis dictamina.

Vetus Philosophia multa vera vidit.

Consentienter tamen veritati docuere; τέλος εἶναι ὁμοίωσιν Θεῷ: Finem esse, Dei assimilationẽ. Hoc enim Deus ipse, & voluit; & edixit. Voluit primùm; cùm ad imaginem, & similitudinem sui hominem creavit: Edixit deinde, dum;

Homojosin Dei, docuit, seu assimilationem.

Cōformiter veritati. Sancti estote, (ait;) quia ego Sanctus sum, Dominus Deus vester. Et Christus: Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est. Apostolus verò: imitatores Dei nos esse debere dicit; illique, quà potest, similes. Definit verò hanc Assimilationem satis conformiter Plato: δίκαιον καὶ ὅσιον γενέσθαι: Justũ, & Sanctum fieri. Nempe; ut simus in sanctitate, & justitia, coram ipso; qui verè solus Sanctus, & justus est.

Item acolutiã, seu assectationem. Ακολουθία, Assectatio, seu Obedientia est. Hanc quoq; veteres agnovere. Unde Epictetus: Præcipuus Philosophorũ, inquit, sermo brevis admodũ est: quid enim longũ dicere? τέλος ἐστί τὸ ἕπεσθαι, θεῷ. Finis est, sequi Deum. Hoc Christus requirit; dum toties; Sequere me: *Quæ à Christo jussa.* &; nisi quis reliquerit omnia, & sequatur me: &; vos qui secuti estis me: toties inquam, ingeminavit. Hæc sequela, seu Obedientia est; Deo se submittere; omnia ad eum referre: ab illius nutu pendere: audire quid loquatur in nobis *Et à multis præstita.* Dominus; petere, ut jubeat, quod vult; & promptè exequi, quod jusserit. Ecce me; mitte me, dicebat ille: Alter; Domine, quid me vis facere? Alius; loquere,

audit

audit servus tuus: vel; paratus sum: & ; paratum cor meum. Idem tu dic, ac præsta: & postquam tibi innotuerit voluntas Dei; actu, & facto eam imple.

Tertia est Θέωσις: seu (ut semel verti) Deificatio. Hæc itidem veteri Philosophiæ non ignota prorsus. Non quidem in illa insana assertione; qua Sapientem Deo parem, imò potiorem docuere: Id enim, non minùs stultum, quam impium; sed eo sensu, quo dixit Laertius in Zenone: Divinum quid, esse Sapientẽ: habere enim in se quodãmodò Deũ. Ideoq; alter dixit: eum Θεὸν ἐξ ἀνθρώπου ἐπιθυμῆσαι γενέσθαι: cupere, ut ex homine, Deus fiat. Hoc Sapientia Christiana non tam cupit, nec suis viribus curat, & molitur;(Id enim esset pravi, perversi, superbi illius spiritus, ambitiosè, & arroganter ascendere, & similem fieri altissimo volentis:) Sed, ut dixi; hoc agit: ut se seipso spoliet, privet, orbet; quo capax Dei sit: eumque demum ultrò illabentem recipiat, ac patiatur; prout de Dionysio illo dictum, quod esset πάθων τὰ θεῖα.

Denique Theosin: seu Deificationẽ.

Quã Sapientia Christiana exequitur.

Patiẽs divinorum.

Porrò id eum velle, exinde evidens est: quòd ideo ipse homo factus, ut ho-

mo fieret Deus: Quòd filios nos vocat; &, ut nominemur, & simus, requirit: id est; ut gratiæ cooperando, efficiamur unus cum illo Spiritus; Divinæ consortes naturæ; & in eam convertamur. Cujus rei similitudo peti potest ab ignito, & candente ferro. Illud enim prorsus suam naturam amittere videtur, dum recipit igneam. Nam ex frigido, opaco, duro, gravi; urit, splendet, mollescit, levius fit. Sic anima verè à Deo possessa; & ut possideatur, per triplicem recensitam ἄσκησιν, Mortificationem, inquam, Abrenunciationem, & Abnegationem apta; tota immutatur, & Divina fit. Ita ut, & dū hìc vivit, dicere possit; vivo ego jam non ego, vivit in me Deus: Et, dum hinc migrabit, tum demum verè, tota Diva erit.

Dum velut ferrū candens.

Exercitationem.

In Dei naturam mutatur.

Conclusio: & Synopsis totius operis.

Perfectus finis.

Postremò (ut in hoc fine, qui verè est τέλειον τέλος, finem operi imponam;) manifestum est: ea quæ hactenus de Officiis dixi, huc cuncta referri; & hoc compendio contineri. Facilè enim est; Concupiscentiarum victorem, Commotionum arbitrum, Virtutum compotem, id est Probum: Deinde; Charitatis, in jure Potestatis, Dominii, Obligatio-

gationis studiosum; Denique Pium in sensu, cultu, & Amore erga Deum, esse: Facile, jnquam, cuncta hæc implere Mortificato; Renuncianti externis; & se Abneganti: id est; ad Dei amorem cuncta referenti; Inde verò totum id quod sis, in causam tui finemque, seu Deum se transformanti.

Fac ergo ò Deus, ut hunc finem nostrum cognoscamus: & ad illum; vel hoc scripto; quod tua ope cæptum, finitumque est; deveniamus. Ut, inquam, transformemur in eam, quam nobis creatione indidisti; & Redemptione, ac Sanctificatione reparasti, Imaginem tuam: Et vita, animoque appetamus; referamus; & assequamur TE, UNUM VERUM, BONUM. *Cum voto: ut simus cum potes finis, seu Dei.*

APPENDIX.

Ad Librum Tertium.

DEduxi, ut vides Lector, rem, quo destinaveram: & unde ultra, & altiùs non itur. Quod enim majus officium homini assignari potest; quam ut mutetur in Deum? Audax profectò, & improbus videretur hic conatus; si Gyganteo *Monita pauca appenduntur.*

ganteo ambitu, viribusque suis fieret, & divinitatem suo studio, velut Promethei astu, furaretur. Verùm, ut dixi, status hic non usurpatione contingit, sed dono. Quod, ut memoria retineamus semper; uti libris superioribus, ita & huic pauca quædam monita appendam.

Primum, ut nolis alta sapere.

Primum autem erit: ut ex cognitione tam altæ sapientiæ, non incipiat alta sapere. Vides sublimem hanc pietatis, immò sanctitatis Christianæ structuram? cogitas hanc fabricam? à fundamento incipe: quod tantò magis ima petit; quantò altiùs superædificabitur. Ergo, ut fabrica, (inquit Augustinus:) ante celsitudinem humiliatur; & fastigium post humiliationem demum erigitur: Ita & tu deprimas te, & totus in eo sis; ut præceptum Domini impleas in simplicitate cordis. Altiora verò te ne quæsieris: (inquit Ecclesiastes,) Sed, quæ præcepit tibi Dominus, illa cogita semper, & imple. Cognitio enim sola, te bonum non faciet; sed voluntas, sed amor: qui sine ratiocinationis magno molimine, affectu fertur, & impletur.

In simplicitate cordis imple præcepta.

Alterū: ut scias

Alterum monitum: ut scias in par-

vis

vis profectum consistere. Nam, quæ ardua, & sublimia videntur; facilè, annexam elationem habent: raro implentur; ferè in proposito tantùm consistunt; in futurum destinantur. Interim, dum voto pendet; differtur vita: & transcurrit. Itaque tu, vive hodie. Impone manum præsenti tempori. Quotidiana, & velut domestica vitia, supera: leviora affectuum corrigere stude: virtutes, quas putas altas; & ex illis opera eximia; nec ambitiosè affectes, nec ostentes. Denique, intra usum vitæ probæ, ac emendatæ arcta te; ac contine. Et in pura, ac simplici actione, eorum præsertim, quæ à legitima potestate jussa, & imperata: Ecclesiæ, inquam, sancita, cultum præsertim Mysticum; tum verò bonas piorum consuetudines studiosè imple; & exequere. Quidquid verò vel dignè egeris; vel meritò spreveris; vel patienter sustinueris; dic tibi obvium illud: servus inutilis sum; nihil enim aliud, nisi quod debui; nec ut oportuit, feci.

In parvis esse profectum.

Quotidie vivito.

Usu vitæ emendatæ.

Tertium Monitum est: ut interiorem animum, & profectum pietatis non modò non ostentes, sed quantum potes, etiam

Tertium monitum ut pietatem occultes.

etiam occultes. Christus id sæpiùs præcepit: dum apparere, & videri ab hominibus; & jejunantibus faciem exterminare, vetuit: Eleemosynam largiri occultè jussit: denique, omnem hypocrisim sustulit: idque non jussu tantùm; sed etiam exemplo. Qui aliter faciunt; illi non proficere, sed conspici volunt. Itaque recipiunt mercedem suam; Gloriam Vanam consequuntur: ad quam non eundo eunt; & fastum calcant, sed fastu alio. Ambitio, inquam, admiratio, & laus sæpè quæritur: quæ omnia corrumpit, & depravat.

Etenim Hypocrisim vetuit Christus.

Atqui vel natura ipsa rerum nos docet, bona nostra occultare; dum pretiosissima quæque in abdito habet: Metalla intra terræ viscera, Uniones in fundo maris, Gemmas crusta dissimili tectas: Cætera denique, verè magna, in recessu; & sæpè sub diversa specie latent. Itaque, & virtutes tegere, & abscondere oportet, ne vilescant; aut facilè auferantur.

Natura ipsa tegit pretiosa.

Sed etiam aliorum causa ostentatio omnis vitanda: offendimus enim facilè tali exemplo; & quos emendare volumus, affectata austeritate fugamus; Efficimusque, ut nihil velint nostri imitari;

Etiam ob alios, vitanda ostentatio.

ri; dum timent, ne talia imitanda ſint. Satis autem ipſum nomen Sanctitatis Chriſtianæ moleſtia terret: quid ſi ejus ſectatores cæperint ſe conſuetudini hominum excerpere? Itaque, intus pleraque diſſimilia ſint: frons, & facies, ut plurimùm populo conveniat. Fac: ut, in quocunque vitæ genere, quod elegeris; nihil in te, & habitu tuo, notabile nimis ſit; & ab omnibus diverſum.

Quia eſt ſcandalo.

In ſermone præſertim; ne ſis mihi æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Quemadmodum enim vaſa vacua, leviter quamvis tacta, ſonum edunt; plena vix reſpondent: ſed ſi promendum ſit; illa nihil, hæc largiter ſundunt; ac affatim ſuppeditant: Ita mens inanis, clamoſa ſæpè; ſed actu nulla: quæ verò plena; latet primùm, & tacet: ſed opere ſe prodit. Ita ut, & videant cuncti opera ejus bona, indeque glorificent Deum: &, ſi ſit opus; ex abundantia cordis, etiam os loquatur eximiè; & cum fructu.

In ſermone abſit jactātia.

Inania ſtrepent.

Quartum monitum: etiamſi te longa exercitatio, aut potiùs gratia Dei, ad gradum perfectioris vitæ perduxerit; attamen quamdiu hic vivis, nunquam te putes à lapſu ſecurum. Nam

Quartū monitū: ne ſecuritate pecces.

in

in quocunque ſtatu; tentatio, & colluctatio, & militia eſt, vita hominis ſuper terram. Certandum itaque ſemper; ne experiamur falſæ pacis mala. Et unica ſecuritas hic eſt, ſecuritatem timere.

Quintū: ut in Tētatione rectè te geras. Suggeſtioni reſiſtens.

Quintò: ſi in tentationem incideris, non deſpondeas animum; ſed memento, eam conſtare ſuggeſtione, oblectatione, aſſenſu. Suggeſtio, non eſt arbitrii noſtri: Et, quod ſine ulla culpa nos invadere poſſit; teſtis eſt tentatus in deſerto Chriſtus: qui, ut Gregorius ait, tentari per ſuggeſtionem potuit; ſed ejus mentem peccati delectatio non momordit: Itaque, in tali aggreſſione, non opus terreri; ſed cum Deo arma ſumere: ut mereamur illud reſponſum: ſufficit tibi gratia mea; Nam virtus in infirmitate perficitur.

Oblectationē defugiens.

Oblectatio, etſi rarò poteſt culpa carere, ſaltem negligentiæ; tamen, ſi reluctante ſuperiori ſua parte animo, per blanda illicia titillaverit tantùm mentem, non verò pellexerit ad aſſenſum; inculpata adhuc, inſons, & innocens eſt. Itaque hic maxima decertandi occaſio. Solet autem Dæmon ſubdolè triumphum ante victoriam cane-

re.

re. Ergo circumſpice, ac expende vires tuas: & quamdiu reſiſtis, non te victum exiſtimes. Spera ex tentatione proventum. Ad Deum confuge: confide ejus auxilio; illoque fretus, longè te hoſte fortiorem cenſe.

Quod ſi labi, & aſſenſu peccare contingat: Non diu proſtratus jace; ſed erige te, & à lapſu validior ſurge. Hoc, inquam, age: ut aut non pecces; aut peccare quantociùs deſiſtas. Si primum admiſiſti; alterum ſubitò, & ſedulò præſta. Non deſperes: nec divinæ miſericordiæ diffidas; modò cum dolore veniam implores: verè, inquam, coram Deo pæniteat feciſſe; & firmum ſit propoſitum, ampliùs non facere. Experimentum deinde tui cape; & in futurum firmare; & ſapienter cave. Pœnitentia enim, (ait Ambroſius,) delictum abolet, Sapientia cavet. *A lapſu citò ſurgens.*

Ultimum monitum: non ad hunc modò librum, ſed ad opus totum pertinens eſt: ut, cùm exiguam ejus molem, & minorem omnino copia rerum tractatarum, videas; ut, inquam, non pigeat relegere illud, ac repetere. Multa enim breviter dicta invenies; quæ *Vltimum monitũ, ut hæc repetantur.*

prima

prima, ac festinata lectione, fallere te potuerunt. Præsertim, si non totum; aut non continuò legisti. Tunc, mihi crede, perdidisti operam. Revoca igitur, & rumina: si vis, proficuo cibo pascere, & explere mentem. Ego spondeo: non nauseam, & cramben recoctam; sed novum forsan saporem semper invenies. Magna volumina qui scribere amant; primùm non meminere: Pauca sciri. Deinde; nolunt legi: & frustra accuratum requirunt lectorem, in supina Scripti incuria. Ego verò conatus sum paucis multa dicere; cassa verba vitare; nulla superflua, & quæ demi, sine sensus detrimento possint; ponere: parcè quædam elegantiæ, aut amænitati indulgere; meditationi cujusque, consultò multa relinquere: imo Notis etiam reservare quædam; uberiùs, si Deus volet, explicanda. Mereor itaque & legi; & repeti.

Merentur enim.

F I N I S.



